

Theodori STORM fabula novella, q.e. „Der Schimmelreiter“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER




»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«.

THOMAS MANN

i.e. Latinê:

Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.



THEODOR STORM (1817-1888)



Theodorus Storm
DE EQUITE LEUCIPPO

Fabula novella (a.1888)

Pars prima: EL 166,16-22

De rebus, quas referre mihi in animo est, plus dimidio saeculo ante certior factus sum in domo abaviae meae, vetustae uxoris senatoris *Feddersen*, cum eiusdem mulieris arcisellio assidens legerem fasciculum alicuius periodici scabrâ chartâ caeruleâ vestitum; non iam recordor, utrum fuerit fasciculus »Fructuum legendi Lipsiensium« an »Pappii Hammaburgensium«.

Adhuc laeto quodam horrore venerabundus sentio lenem manum abaviae plus octogenariae interdum capillos pronepotis blandê perludentem. Illa ipsa illudque tempus iam pridem sunt sepulta; necnon frustra interim investigavi illa folia periodica ideoque eo minus possum illis rebus fidem meam obligare et, si quis easdem factas esse negare velit, eidem resistere; nihil autem affirmare possum nisi me illas res quamvis interim nullâ causâ adventiciâ in memoriam revocatas inde ex illo tempore numquam oblîtum esse.

‘Factum est tertio decennio nostri saeculi, post aliquam meridiem mensis Octobris’ - his verbis coepisse narratorem illius periodici recordor - ‘ut magnâ in tempestate equitarem praeter aggerem aliquem Frisiae septentrionalis. A sinistris iam ex plus horâ mihi erat incultus et omnibus pecudibus orbatus campus uliginosus, a dextris, idque propinquitate iniucundissimâ, aestuarium Maris Germanici; dicebantur quidem ex aggere videri posse insula inundabilis ceteraeque insulae; at ego nihil videbam nisi undas fulvas iterum iterumque tamquam clamore iracundo sublato adversum aggerem verberantes et interdum me equumque sordidâ spumâ inspergentes; post easdem vastum erat crepusculum, quo non discernere caelum et terram; nam luna quoque dimidia nunc in excelso constituta plerumque nubibus volitantibus obscurabatur. Aer erat gelidissimus; manibus rigidis vix habenas tenere poteram nec vitio vertebam cornicibus gaviisque, quod continuo crocitanter et cucurrientes curabant, ut tempestate agerentur in terram. Cum obtenebresceret, non iam poteram certê agnoscere ungulas equi mei; haud quemquam hominum conveneram, nihil audiebam nisi clamorem avium, quae me aut equam fidelem longis âlis paene stringebant, et ventum et aquam furentes. Haud nego me interdum optavisse, ut essem in mansione securâ.

Ista tempestas nunc tertio iam die durabat, et ego iam plus licito siveram retineri a viro quodam mihi cognato perquam caro in villâ, quam is possidebat in aliquo districtuum septentrionaliorum. Hôc autem die non iam diutius remanere potui; nam negotia mihi erant agenda in oppido, quod a me remotum erat itinere versus meridiem faciendo horarum nonnullarum, et quamvis consobrinus meus eiusque uxor cara iterum iterumque studerent mihi persuadere, ut apud se remanerem, quamvis adhuc gustanda essent pulchra mâla illa delicatissima, quorum arbores ab illis ipsis erant cultae, post meridiem equo profectus eram. Consobrinus autem ad ianuam domûs

stans mihi abequitanti acclamaverat: »Exspecta, usque dum venias ad mare; certê ad nos revertêris; cubiculum tibi reservabimus!«

Reverâ autem momento temporis, quo nigrâ nubium straturâ tenebrae mihi factae sunt obscurissimae simulque ventis ululantibus unâ cum equâ meâ de aggere urgebar, illud mihi succurrit: »Noli esse stultus! Revertere ad amicos tuos et reside in nido calido commodoque«. At deinde in mentem mihi vênit reditum esse etiam longiorem quam iter destinatum faciendum; itaque auribus collari amiculi mei obtectis perrexi tolutim equitare. At nunc in aggere aliquid obviam mihi vênit; nihil audivi; sed etiam etiamque clarius, lunâ parcum lumen suum demittente, mihi visus sum agnoscere figuram obscuram, et mox illam appropinquantem vidi equo insidentem, gracili equo albo, qui erat altis pedibus; amiculum obscurum circa umeros illius huc illuc agebatur, et equo praetervolante e vultu pallido me aspexerunt duo oculi ardentes.

Quisnam fuit iste? Quidnam iste voluit? – Nunc autem subiit mihi me nullum audivisse unguarum sonitum, nullum equi anhelitum; tamen et equum et equitem proximê me praetervectos esse!

Haec cogitans equitare perrexi, sed non multum temporis fuit, quo cogitarem, iam illud a tergo me praetervectum est; visus mihi sum me stringi amiculo volanti, et phantasma, sicut iam antea, me praetercurrerat sine ullo sonitu. Deinde illud vidi a me remotum remotiusque; tum illius umbra mihi visa est subito in latere aggeris interno degredi.

Secutus sum aliquatenus cunctabundus. Illum locum assecutus vidi proximê ad aggerem in terrâ inaggeratâ infra aquam micantem magnae fracturae, quales, dum procella saevit, fluctibus terram infringentibus effectae postea remanere solent lacunae parvae, sed altae.

Aqua autem, quamvis aggere protecta, apparenter commovebatur; quae ab equite non potuerat turbari; nihil iam eius vidi. At aliud vidi, quo nunc delectatus sum: ante me, e terrâ infra inaggeratâ, multa lumina dispersa sursum ad me nitebant ex illis domibus frisianis in longitudinem porrectis venientia, quae singillatim in navalibus erant sitae; proximê ante me in aggeris interni dimidiâ altitudine sita erat magna domus eiusdem generis; in latere meridionali, a dextris ianuae domesticae, vidi omnes fenestras esse illuminatas; post illas vidi homines, quos adversus procellam mihi visus sum audire. Equa mea iam suâ sponte degressus erat per viam ad aggerem sitam, quae me ante ianuam domûs duxit. Vidi quoque eandem esse cauponam; nam ante fenestras animadverti trabes binis fulcris positas magnis anulis ferreis instructas, quibus pecora equique alligabantur, qui hîc loco solebant sistere.

Equum alicui trabi adiunxi servoque mandavi, qui in me incidit andronem ingressum: Quem rogavi »Fitne hîc conventus?«, cum nunc clarê audirem voces hominum et stridores hyalorum ex ianuâ conclavis venientes.

Servus autem sermone Germaniae inferioris usus – postea accepi hunc sermonem praeter frisianum ibi iam ex plus centum annis adhiberi - respondit: »Videtur talis res fieri. Comes atque magistratûs et aliqui alii, ad quos res spectat! Agitur enim de inundatione!«

Ingressus vidi decuriam ferê virorum sedentes circa mensam sub fenestris porrectam, cui imposita erat patina pentapomate¹ completa; eidem administrandae praepositus esse visus est vir eximiê procerus.

Salutavi et rogavi, ut iisdem assiderem, quod promptê permissum est. Ego ad illum virum versus: »Vos« inquam »hîc vigilatis! Foris est mala tempestas; aggeres certê periclitantur!«

Ille respondit: »Certê; sed hîc in latere orientali habitantes putamus nos nunc esse extra periculum; ibi tantum in altero latere res non est segura, quia ibi aggeres plerumque sunt ratione vetere constructi; agger noster praecipuus transpositus iam est saeculo praeterito. – Nos modo ibi foris friguimus, et de te« - addidit - »certê eodem modo factum est; sed necesse est nos adhuc per nonnullas horas hîc loco patienter expectandum esse; habemus homines fide dignos foris positos, qui nobis sint relaturi«. Antequam apud cauponem mihi mandare potui aliquid bibendum, iam appositus mihi est hyalus vaporans.

Mox accepi virum affabilem mihi propinquum esse comitem aggeralem¹; cum iam colloqueremur, coeperam illi narrare de miro conventu meo in aggere facto. Ille factus est attentissimus et ego subito animadverti homines circumcirca collocutos obmutuisse. Uno ex illis: »En Equitem Leucippum²!« vociferato ceteri terrore commoti sunt.

Comes aggeralis surrexerat. »Noli terreri«, inquit super mensam loquens; »hoc non solum spectat ad nos; anno 17 spectavit etiam ad illos ibi in alterô parte habitantes; utinam parati sint ad omnia ferenda!«

Equidem perhorruî a posteriori. »Ignoscite!« inquam, »quisnam est iste Eques Leucippus?«

Seorsim post fornacem dorso paulo declinato sedebat parvus vir macer nigrâ vesticulâ detritâ indutus; alter umerus eius visus est paulo gibbus. Qui quamvis nullo verbo edito particeps fuisset colloquii aliorum, ex oculis eius, qui adversus capitis capillos parcos atque canos adhuc marginati erant ciliis opacis, dilucidê apparuit eum nequaquam assidêre dormientem.

Quem virum comes aggeralis nunc manu indicavit. Īdem voce sublatâ »Noster magister scholaris«, inquit, »nobis hanc rem optimê narrare scit; sed suo more neque tam rectê, quam domi narraret *Annula Vollmers* oeconomia mea vetusta«.

1 ***pentapōma**, -atis n. *Punsch*, fervidum potulentum alcoholicum ex quinque (sanscritê *pañca*, gr. πέντε) substantiis commixtum. Quem neologismum confinxit Baronis Mynchusani versionem Latinam scribens: Baronis Mynchusani mirabilia itinera et pericula marina terrestriaque ab Erico Kästner denuo narrata, a Valthero Trier undecim picturis multisque lineamentis illustrata, a Nicolao Gross in linguam Latinam conversa. Bruxellis Belgarum in Sedibus Foundationis, quae appellatur Melissa, anno 2001, p.58sq.. cfr **BIBLIOTHECA LEONIS LATINI: Pentapomatologia**.

1 comes ***aggerālis**, i.q. *der Deichgraf*.

2 **Eques Leucippus** i.q. *der Schimmelreiter*. cfr gr. λεύκιππος is, qui habet equum album eodemque vehitur. cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.1041, s.v.: “λεύκιππος, ov, riding or driving white horses, Ibyc.16, Stesich.86, Pi. P.4.117, S. L.706; ...” – Quod verbum est compositum possessivum, quale Indi veteres appellabant *bahuvrihi*. Ceterum non est periculum, ne nomen personae fabulae Stormianae praecipuae confundatur cum nomine illius philosophi inventoris atomismi, cuius discipulus fuit Democritus.

Magister autem voce aliquatenus morbidâ ex loco post fornacem editâ: »Iocaris«, inquit, »Comes aggeralis! Quid me comparas cum istâ excetrâ³ stupidâ«

Comes respondit: »Rectê dicas, magister! Sed tales fabulae dicuntur optimê servari apud excetras!«

Parvus dominus: »Scilicet!« inquit; »de hac re non omnino inter nos consentimus« subtili facie subridente praestantiam declarans.

Comes aggeralis mihi insusurrans »Bene vides«, inquit, »eum adhuc aliquantulo superbire; îdem enim iuvenis theologiae studuit pernoscendae et propter nuptias frustra petitas hîc in patriâ suâ haesit magister scholaris«.

Idem vir interim ex angulo fornacis suo egressus ad longam mensam iuxta me consederat. Nonnulli congregatorum iuniores vocaverunt:

»Narra, magister, narra quidem«.

Senex ad me versus: »Scilicet«, inquit, »libenter vobis concedam; at cum huic rei intersit multum superstitionis, difficile est rem sine eâ narrare«.

Respondi: »Rogo te ne eandem omittas. Credas, quaeso, me ipsum scire, quomodo paleam discernam a tritico!«

(Altera pars sequetur)

FABULA NOVELLA EXCELLENTISSIMA
A THEODORO STORM SCRIPTA
 C.T. EST
Der Schimmelreiter
 IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS

³ **éxcetra**, -ae f. orig. *der Drachen* (i.e. *nomen mulieris malignae increpatorium*). cfr OLD p.634, s.v. excetra: "...a water-snake... b (transf.) a *spiteful or malignant woman*. ...b ...tibi cerebrum dispercutiam, excetra tu Pl.Cas.644. illius excetrae delenimentis et uenenis imbutum LIV.39.11.2; APUL.met.10.28." - cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, ed.8., Hannoverae a.1913, tom.1, col.2519, s.v.: „...die Schlange... wie im Deutschen von einem bösen, ränkevollen Weibe, PLAUT.Cas.644; Pseud.218; LIV.39,11,2; APUL.met.10,28.“

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars altera: EL 167,4-11

Senex me aspexit intellegenter subridens. »Incipiam ergo!« dixit. »Medio saeculo proximo praeterito, aut potius, ut accuratius dicam, ante et post hoc tempus, hîc fuit comes aggeralis, qui de aggeribus aggerumque exclusis plura scivit quam agricolae villarumque possessores scire solent; at vix sat multa scivit, nam earum rerum, quas viri docti descripserant, pauca tantum legerat; scientiam enim suam, etsi a primis pueris, suo tantum ingenio pepererat. Certê, Domine, iam audivisti Frisios bene calculare, necnon nostrum *Iohannem Mommsenium de Fahretoft* agricolam quidem fuisse, tamen fabricare scivisse pyxides magneticas et horologia nautica, telescopia et organa. Talis viri similis fuerat pater eius, qui postea factus est comes aggeralis; sed paulo tantum similis. Îdem habuit nonnulla pascua paludosa, ubi napos fabasque colebat, ubi vacca gramina carpebat, interdum tempore autumnali vernalique terram mensurabat et hieme, cum foris caurus flans foriculas percutiebat, in conclavi suo amussi atque circino delineabat. Puer autem plerumque assidens super bibliam suam libellumve elementorum conspexit ad patrem mensurantem computantemque, et manu perfodiebat capillos suos flavos. Aliquo vespere puer e patre quaesivit, quare id quod modo scripsisset, necessario esset tale nec posset esse aliud, et propriam sententiam proposuit. At pater, cum huic quaestioni respondere nesciret, capite concusso: »Hoc« inquit, »nescio tibi dicere; sufficit, quod sic est, et tu ipse erras. Si vis plura scire, cras affer librum quendam cistae impositum, quae imposita est tabulato nostro, librum, quem scripsit aliquis, cui nomen est Euclides; eodem in libro hoc invenies!«

– Postridie puer ad tabulatum accesserat et mox librum invenerat; nam omnino non multi libri erant in illâ domo; sed pater risit libro sibi praeposito. Nam fuit Euclides sermone batavo scriptus, et sermonem batavicum, quamvis esset semitheodiscus, nec unus nec alter intellexit. »Ah, recordor«, inquit, »hic liber fuit patris mei, a quo intellectus est; nonne adest Euclides theodiscus?«

Puer autem, qui parcê verbis utebatur, patre tranquillê aspecto nihil dixit nisi: »Licetne librum retinere? Theodiscus non adest«.

Patre annuente puer alterum libellum monstravit, qui erat semidiscissus¹. »Etiamne hunc?« rogavit.

Tedeus Haien: »Sumas ambos!« inquit, »qui tibi non multum proderunt«.

At alter fuit liber linguae batavicae grammaticus, et hieme diutius perdurante puer in hac linguâ discendâ tantum progressus est, ut grossulariis² in horto tandem florentibus librum Euclidis, qui illo tempore multum valebat, omnibus ferê locis intellegeret«.

Nunc autem narrator sermonem suum interrumpens: »Haud ignoro« inquit, »Domine, hanc rem etiam narrari de *Iohanne Mommsen*; sed is antequam natus est,

1 ***sēmidiscissus**, -a, -um: orig. *halbzerrissen*. Guilelmus Godofredus de Ploucquet, *Literatura medica digesta sive repertorium medicinae practicae ...*, tom. 4, Tubingae 1809, p.152.

2 +**grossulāria**, -ae f. orig. *Stachelbeere*. angl. *gooseberry*, fr. *groseillier*

hîc apud nos haec res iam narrata erat de *Hauco Haien* – talis enim puer appellabatur. Certo etiam scis si qui vir maior venerit, ei omnia impositum iri, quae eius praecessores fecerint sive honestê sive inhonestê.

Pater cum videret puerum neque vaccas neque oves curare et vix animadvertere fabas florere (quo scilicet animum eximiê exhilarari omnis paludicola¹, et praeterea cogitaret parvum locum sufficere quidem ad agricolam et puerum, sed non ad virum semidoctum servumque occupandum, nec se ipsum umquam emersisse², catulastrum³ suum misit ad aggerem, ubi ei unâ cum aliis operariis a festo paschali usque ad diem Sancti Martini terra erat pabone transportanda. Pater autem intra se cogitavit: ›Hîc labore animus eius liberabitur a studiis Euclidis immoderatis‹.

Puer autem pabone operabatur; sed Euclidem semper habuit sacculo bracarum inditum, et cum operarii ientaculum comedebant aut merendam, is in pabone inverso sedebat manu tenens illum librum. Et autumnno cum fluctûs interdum tanto augebantur, ut necessarium esset ab operando desistere, Haucus non cum ceteris ibat domum, sed remanebat manibus super genibus complicatis, ad declive latus aggeris marinum sedens et per horas aspectans turbidas undas Maris Germanici, quae altius altiusque ad gramina aggeris pulsabantur; eo demum tempore, quo pedes pueri perluebantur et spuma in eius faciem iniciebatur, Haucus distantia nonnullorum tantum pedum corpus cum semovisset, iterum sedens remansit. Qui neque audiebat aquae plausum neque gaviarum aviumque litoralium clamationem, quae volitabant circa aut super eum alis paene perstringentes, nigris oculis coruscantes in oculos eiusdem; neque videbat ante se super ingentem aquae vastitudinem ferocissimam tenebras diffundi nocturnas; Haucus nihil videbat nisi marginem aquae ad aggerem allidentis, quae mari exaestuante iterum iterumque ad eundem locum durê pulsans coram puero eluebat humum aggeris ardui graminibus obsitam.

Postquam diu aquae marginem aspectavit oculis torpidis, lentê solebat capite annuere aut oculos non tollens manu in aëre delineare lineam mollem, quasi eodem modo vellet aggerem instruere formâ declivitatis lenioris. Cum tenebrae fiebant, ut omnes res terrestres coram oculis Hauci evanescerent sôlo aestu maris in auribus eius tonante, puer surgebat et semimadidus domum incedebat.

1 **palūdicola**, -ae m. orig. *Marschmann*. cfr SIDON. Epist.4,1,4; 7,17,2. cfr Lorenz Diefenbach, *Lexicon comparativum linguarum Indogermanicarum*, p.44: „d.Marschen pl., Marschland, terra paludosa et pinguis“.

2 **ēmersisse** cfr IUV.3,164 haud facile **emergunt**, quorum virtutibus obstat res angusta domi.

3 **cat(u)laster**, -tri m. cfr OLD s.v. “A young man. Transmarinos **catlastros** emere formosos et puellas maturas eosque coniungere. VITR.8,3-25.”. - cfr Georges, *Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch*, ed.8., Hannoverae a.1913, tom.1, col.1034, s.v.: „**catlaster**, tri, m. (zsgz. Aus catulaster [v. catulus]), *der erwachsene Knabe, der Bursche*,... “ - cfr ThLL vol.03, col.621 s.v. **cat(u)laster**, -tri m. [a catulus. Th.]. catlaster: VITR. 8,3,25 CHAR. gramm. I 85, 4. PRISC.gramm. II 114,17 in ‚ster‘ . . . satis pauca in usu inveniuntur deminutiva (om. P) . . . catulus -r. 127, 4 in f er' derivata a nominibus pleraque s et t habent ante deminutiva quoque huiusmodi formae. . . a habent ante ster: . . . -r. *de significatione*: PRISC.gramm. II 101,22 solent autem deminutiva . . . proferri . . . adulationis et maxime puerorum ut -r. GLOSS. II 98, 30 βούπαις (259, 31 c a t u l e s t e r . cf 393,4 ita πάλληξ pupa, pupula, catulester. III 1 81,27 pallix: celaster). 572,16 iuvenis xn [sc. (xv ab; at cf. GLOSS. V550,14) annorum. VITR.8,3,25 transmarinos -os (*sic EGH*) emere formosos et puellas maturas eosque coniungere. DRAC.satisf.225 non -r agit puerilia (*quod fort. mutavit EVG. TOLET.sat.* 193 in: non catulastra gerit puerilia).

Cum Haucus aliquo vespere conclave patris intravisset instrumenta mensoria purgantia, is raptim surgens: »Quid agis foris? Fieri potuit, ut aquis submergereris, nam apparet istas hodie aggerem mordere«.

Haucus patrem aspexit vultu contumaci.

– »Audin’? Dixi fieri potuisse, ut submergereris«.

Haucus: »At«, inquit; »non submersus sum!«

Quadam morâ interpositâ pater tamquam mente absens illius vultum inspiciens: »Non - «, inquit – »nondum«.

Haucus autem: »At«, inquit, »aggeres nostri nihil valent!«

– »Quid ais, puer?«

»Aggeres, dixi!«

– »Quidnam de aggeribus?«

»Qui nihil valent, pater!« Haucus respondit.

At pater eum irrisit. »Quidnam ais, puer? Videris mihi esse mirabilis ille infantulus Lubeccensis!«

At non sivit se perturbari. »Latus aquaticum« inquit; »est nimis arduum; si quando sic fiet, ut iam pluries factum est, fieri poterit, ut nos hîc etiam post aggerem aquis submergamur!«

Pater tabaco masticabili e sacculo exempto frustum torquendo abreptum post dentes posuit. »Quotnam hodie promovisti pabones?«

pater quaesivit stomachans; nam bene vidit etiam operibus aggeralibus puerum non aversum esse a laboribus cogitandi.

At ille: »Nescio, pater«, inquit, »tot, quot ceteri promoverunt; aut potius dimidiâ decuriâ plures; sed – necesse est aggeres fieri alios!«

»Bene«, pater dixit risu sublato; »fortasse id assequêris, ut fias comes aggeralis; deinde aggeres facias alios!«

»Faciam, pater!« puer respondit.

Filio aspecto pater aliquoties singultivit; deinde exiit nesciens, quid puero responderet.

Exeunte quoque mense Octobri, finito opere aggerali Haucus Haienus eo optimê delectari perrexit, quod ibat versus septentrionem ad sinum maris¹; Diem Omnium Sanctorum, circa quem procellae aequinoctiales strepitare solent, de quo dicimus Frisiam iustê lamentari, Haucus exspectavit tamquam infantulus festum Christi. Cum imminebat aestus maximê tumens², certum erat puerum adversus procellam tempestatemque spurcatam versari in loco aggeris extremo desolatissimum; et cum gaviae gracillabant, cum aquae in aggerem saeviebant et revolvendo magnas lacinias

1 **sinus maris** orig. *das Haff*. Johann Hübners kurtze Fragen aus der Neuen und Alten Geographie, Leipzig 1729, p.626,4: "Uckermünde, lat. Uckermunda, liegt an dem **frischen oder grossen Haff**, welcher lateinisch **Sinus Magnus** genennet wird." -

2 **aestus tumēns** orig. *Springflut*.

e graminetis¹ evulsas secum in mare deripiebant, audiri poterat risus Hauci iracundus. »Vos nil recti scitis«, Haucus clamabat in aerem fremebundum, »sicuti homines quoque nil sciunt recti«. Deinde tandem saepe tenebris iam exortis e latâ vastitudine praeter aggerem domum incedebat, usque dum puer staturâ procerâ praeditus humilem ianuam patris tecto harundinaceo subditam assecutus sub eâdem in parvum conclave illaberetur.

Interdum Haucus secum attulerat pugnum argillae; deinde iuxta patrem considebat sibi nunc indulgentem, et candelâ sebatâ lucente argillam depresso simulacra aggerum omnis generis, quae vasi plano imponebat aquâ completo, ut imitaretur elutionem undis effectam, aut tabulâ schistinâ² sumptâ delineabat aggerum formam, qualem versus latus marinum necessario esse sibi persuasum erat.

Cum illis conversari, quibuscum scholam frequentaverat, puero non in mentem veniebat, nec illi videbantur ullo modo curare istum somniatorem.

Aliquando hieme denuo factâ, gelu cum ingruisset, Haucus etiam longinquius migravit, quo prius numquam venerat, porro per aggerem, usque dum sibi porrigeretur infinita planities aestuariorum glacie obiecta.

Februario autem mense inventa sunt cadavera hominum mari appulsa; quae foris iacuerant in sinu aperto in aestuariis³ congelatis. Mulier quaedam iuvenis, quae viderat homines cadavera in vicum apportantes, garriendi cupida ante *Tedum Haienum* stans magnâ voce sublatâ: »Noli credere«, inquit; »ista cadavera fuisse similia hominibus. Nequaquam! Istaec similia fuerunt *diabolis* marinis!⁴ Tantis enim fuerunt capitibus, (*muliercula digitos latê dipansos inter se opposuit*), nigerrimis et detritis, panum similibus recenter furno minus triginta coctorum! Quae cadavera a cancris erant arrosa; et parvuli territi clamitaverunt illis visis!«

Vetusto Haieno istaec nil novi fuerunt. Ìdem enim aequo animo dixit: »Verisimile est illa in mari circumacta esse ex mense Novembri!«

Haucus autem astitit taciturnus; at quam maturrimê potuit, clam foras iit ad aggerem; incertum fuit, utrum puer quaerere vellet alios homines mortuos, an nullâ re attraheretur nisi formidine, quam locis nunc relictis adhuc incumbere pro certo habuit. Haucus etiam etiamque currere perrexit, usque dum solus staret in vastitate, ubi tantummodo venti super aggerem flabant, ubi nihil erat nisi voces avium magnarum querulae rapidê praetervolantium; a sinistris erat vasta et inanis terra paludosa, ex alterâ parte lîtus infinitum, cuius erat planities nunc glacie nitens aestuariorum; totus mundus videbatur prostratus esse morte albâ.

(*Pars tertia sequetur*)

1 ***grāminētum**, -ī n. orig. *Grasdecke*. cfr Francis Bacon: Lord Bacon's Works vol.XV containing translations. London 1834, De hortis, p.352: "Horti contentum, (loquor autem de hortis regiis, sicut feci de aedificiis) haud minus triginta jugerum esse debet: atque illud in tres partes dividi convenit: **graminetum** in introitu; fruticetum sive eremum in exitu; et hortum praecipuum in medio: praeter ambulacra utrinque ad latera. Mihi quidem placet, quatuor jugera **gramineto** assignari, sex fruticeto; bis quatuor ad ambulacra ad latera; et horto praecipuo duodecim."

2 **tabula *schistinā** orig. *Schiefertafel*.

3 **aestuārium**, -iī n. orig. *das Watt*.

4 **diabolus marīnus** orig. *Seeteufel*. Sic appellant piscatores Germani piscem marinum, qui est atroci aspectu (v. photographema), rostro latissimo, horridis dentibus ideoque nomina accepit superstitiosa. Nomen zoologicum est *Lophius piscatorius*. Nomen antiquum est **batrachus marinus** sive **rana marina** (CICERO, De natura deorum 2,125).



Ecce rana marina (*Lophius piscatorius*) piscis aspectu atrox,
quem Germani appellant *Seeteufel*, i.e. diabolum marinum.

**FABULAM NOVELLAM
EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM
C.T. EST
Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars **tertia**: EL 169,4-12

Haucus in summo aggere constitit, et eius oculi acres latê vagabantur; sed nihil iam vidit mortuorum; infra autem, ubi fluenta aestuarii invisibilia frequentabantur, glacies tollebat et demittebatur per lineas flumini similes.

Puer domum cucurrit; sed aliquo vesperum sequentium iterum foris fuit. Illis locis glacies nunc erat diffissa; e rimis vapor asendebat nubi fumosae similis, et super totum aestuarium tendebatur rete vaporis atque nebulae, quod mirum in modum miscebatur cum crepusculo vespertino. Haucus in ea prospiciebat oculis torpidis; nam in nebulâ figuræ¹ obscurae huc illuc ibant, quae ei videbantur hominum magnitudine. Eaedem gradiebantur cum gravitate, sed vultibus et gestibus miris et terribilibus; quas videbat huc illuc ambulare longis nasis collisque instructas; subito eadem coeperunt morionum more formidulosê salire sursum et deorsum, maiores trans minores minoresque contra maiores; deinde dilatatae omni formâ sunt orbatae.

›Quidnam volunt illi? Num sunt spiritûs hominum aquis submersorum?‹ Haucus cogitavit. »Hoiho!« magnâ cum voce exclamavit in tenebras nocturnas; at illae figuræ ibidem vagantes non curaverunt clamorem eius, sed perrexerunt agere miras ineptias suas.

Tum Hauco in mentem venerunt horribilia illa phantasmata marina norvegica, de quibus vetus nauarchus olim ei narraverat, quae loco faciei ferunt fasciculos graminis marini cervicibus impositos; non aufûgit, sed fulmentas² caligarum limo aggeris firmê impressit oculisque torpidis spectaculum aspectavit lascivum, quod tenebris oborientibus coram se agebatur. »Vosne etiam apud nos versamini?« voce durâ locutus est; »me quidem non fugabitis!«

Eo demum tempore, quo omnia tenebris erant obiecta, puer domum iit pedibus rigidis lentisque. At audiebat post se alas plaudi et clamores resonare. Haucus non respexit; neque celerius iit et sêro demum domum advênit; sed numquam dicitur de iis rebus narravisse patri aut alii homini. Multis annis demum post Haucus filiam suam mente debilem, quâ postea Dominus Deus eum oneravit, eodem tempore diei et anni secum adduxit ad aggerem, ubi eo quoque tempore dicitur apparuisse idem phantasma foris in aestuario; sed pater filiae dixit, ne hoc timeret, nihil esse nisi ardeas et cornices, quae in nebulâ viderentur esse tantae magnitudinis; quas pisces captare e rimis glaciei apertis.

1 **figûrae obscûrae** orig. *dunkle Gestalten*. cfr LUCR.4,34 atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes/ terrificant atque in somnis, cum saepe **figuras**/ contuimur miras simulacraque luce carentum,/ quae nos horrificê languentis saepe sopore/ excierunt ne forte animas Acherunte reamur/ effugere aut umbras inter vivos volitare. cfr VERG.Aen.10,636-642: Tum dea nube cavâ tenuem sine uiribus umbram/ in faciem Aeneae (uisu mirabile monstrum)/ Dardaniis ornat telis, clipeumque iubasque/ diuini adsimulat capitis, dat inania uerba,/ dat sine mente sonum gressûsque effingit euntis,/ morte obitâ qualis fama est uolitare **figuras**/ aut quae sopitos deludunt somnia sensûs.

2 **fulmentae caligârurum** orig. *die Hacken seiner Stiefel*. cfr PLAUT.trin.720 **fulmentas** iubeam suppingi soccis? cfr Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, vol.I, col.2870 s.v. fulmenta: „...II) insbes., der A b s a t z am Schuh, Plaut. Trin.720.“

»Sciat Deus, Domine!« dixit magister scholaris sermonem suum interrumpens, »in terris sunt complures res, quibus perturbatur animus christiani sincerus; at Haucus neque fuit morio neque stultus«.

Cum nihil respondissem, magister erat perrecturus; sed cete ri convivae, qui usque nunc verba narrantis taciti audiverant nihil facientes nisi conclave humile complentes densiore fumo tabaci, subito coeperunt se movere; primo singuli, deinde ferê omnes se converterunt ad fenestram. Foris – hoc apparuit per fenestram cortinae expertem – nubes agitabantur procellâ, et lux et tenebrae rapidê inter se variabantur; sed etiam mihi visus est eques ille longâ staturâ macrâ praeditus equo albo vehens rapidissimê praetervectus esse.

Comes aggeralis submissê: »Paulisper« inquit, »exspecta, magister!«.

»Noli timere, Comes aggeralis!« parvus narrator respondit, »equidem illi non maledixi, neque mihi causae est, ut hoc faciam«; et ad illum suspexit oculis parvis et prudentibus.

»Bene, bene«, alter respondit, »sinas iterum complere hyalum tuum«. Hôc autem facto et auditoribus magnam partem aliquatenus stupefactis ad eum iterum conversis perrexit res factas narrare:

»Sic secum et libentissimê cum nemine nisi cum vento et aquâ imaginibusque solitudinis conversans Haucus adolevit, ut fieret catulaster longus et macer. Iam ex plus anno Haucus erat benedictus, cum subito alius factus est, et hoc effectum est vetusto catto angorano albo, quem olim secum attulerat Catharinae Iohanneae matri filius, qui postea infortunio mortuus erat, maritimo itinere Hispanico facto. Catharina habitabat in aggere admodum remoto in quadam casâ, et quandocumque haec anus in casâ suâ operabatur, hic cattus deformis solebat ante ianuam casulae sedere et oculis nictantibus in caelum aestivum et ad vanellos¹ praetervolantes prospicere. Hauc praetereunte cattus musiebat² aspiciens Haucum praetereuntem, is illi adnuebat; ambo sciebant, quantum unus alteri valeret.

At aliquando tempore vernali Haucus, ut facere solebat, iacebat ad aggerem, aliquanto remotius, versus aquam, inter *armerias maritimas*³ et *artemisiâ marinam*⁴ fragrantem et calefiebat solè iam valente. Die proximo praeterito Haucus in *aridâ terrâ editiore*⁵ sacculos bracarum compleverat silicibus, et cum inter maris recessum

1***vanellus**, -i m. orig. Kiebitz. angl. *lapwing*.; fr. *vanneau*; hisp. avefría; ital. *pavoncella*. genus avium. Cfr <https://en.wiktionary.org/wiki/Vanellus> "Etymology: From Latin *vanellus*, diminutive of *vannus* ("fan for winnowing grain") (see also *fan*), apparently in reference to the sound made by their wings". cfr <https://fr.wiktionary.org/wiki/vanneau>: "(1229) De l'ancien français *vanniel*. Buffon, dans son Histoire Naturelle des Oiseaux, Tome XII, page CXLVIII, indique que son nom se rapporte au battement bruyant et fréquent des ailes, et dériverait donc de *van*, du latin *vannus*".

2 ***mūs(s)īre**, -iō orig. *mauzen* (i.q. *miauen*, *sonus felium sive cattorum notissimus*). cfr **mūsiō**, -ōnis m. i.q. *felis*, *cattus*. v. infra: ADDITAMENTUM.

3 ***armeria maritima**, orig. *Strandnelke*. <https://de.wikipedia.org/wiki/Strand-Grasnelke>

4 **artemisia maritima** orig. *Seewermut*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Strand-Beifuß>

5 **ārida terra ēditor** orig. *Geest*. cfr Michelsen, Dr.A.L.I.: Nordfriesland im Mittelater. Eine historische Skizze. Schleswig 1828, p.51, *): „**Goes** oder **Gees** bedeutet trocken, woraus sich der Ausdruck: ‚die goese Elde‘ erklärt; (vgl. Dankwerths Landesbeschreibung S.53); **in den lateinischen Urkunden** wird die Gest als das **aridum** oder die **terra arida** bezeichnet.“ – cfr Scheller, Ausführliches ...deutsch-lateinisches Lexikon ... Leipzig 1805, col.1072: „Geest oder Geestland, **terra editor**“.

cânae *calidrides*¹ parvae raptim transvolarent aestuaria patefacta, Haucus subito lapidem e sacco exemptum in has aves coniecit. Hoc a primis pueris exercuerat, et plerumque una saltim avis remansit in limo prostrata; sed saepe avis non potuit ex illo loco afferri. Haucus iam deliberavit, num sibi cattus secum adducendus et ita condocefaciendus esset, ut sibi praedam apportaret more canis venatici. Sed hîc et illîc erant etiam loci solidiores aut harenosi; si tales erant, Haucus excurrens praedam ipse sibi afferebat. Cattus si Hauco redeunte adhuc sedebat ante casulae ianuam, istinc bestia tam diu clamabat cum rapacitate indomabili, usque dum Haucus sibi adiceret unam ex avibus captis.

Hodie Haucus cum iaccâ umero impositâ domum iit, secum tulit avem pennis serico versicolori metalloque ornatam, et cattus puero veniente aspectu mussivit, ut solebat. At Haucus praedam - nescio an fuerit alcedo – hîc die noluit tradere neque curavit bestiae cupiditatem. »Vicis mutatur!«² illi acclamavit, »Hodie mihi, cras tibi, haec quidem non est praeda catto dedicata!« Tamen cattus cautis pedibus arrepsit, Haucus stans eum aspexit, avis pendebat ex eius manu et cattus brancâ³ sublatâ constabat. At catulaster visus est amicum suum cattum nondum penitus novisse; nam Haucus dorso illi adverso abiturus, tractu senso animadvertit praedam venaticam sibi esse abreptam, simulque acrem unguem carni suae esse iniectum. Iuvenis ipse irâ ferinâ correptus est; tamquam rabidus bracchium circumagitans iam raptoris cervicem corripuit. Pugno autem ingentem bestiam sublatam suffocavit, ut eius oculi protuberantes emitterentur ex capillis asperis, non curans bracchium suum dilacerari robustis catti unguibus posterioribus. »Hoiho!« Haucus clamans cattum etiam firmiter corripuit; »videamus, quis nostrum hoc patiat diutius!« Subito catti pedes posteriores laxi delapsi sunt, et Haucus paucis gradibus regressus eum proiecit in casam aniculae. Illa cum neque appareret neque quid diceret, Haucus conversus domum iter facere perrexit.

At iste cattus angoranus⁴ fuit cimelium dominae suae; qui fuit aniculae socius et unica possessio, quam filius nauta ei legaverat subitâ morte correptus, in procellâ matrem crângones⁵ captantem adiuturus. Haucus centum ferê gradûs progressus panno sanguinem recipiens e vulneribus suis effluentem, cum e casâ audivit fletum et lamentationem. Tum conversus mulierculam conspexit humi iacentem; capilli eius aniles vento circa ricam rubram volitabant. »Mortuus!« illa clamavit, »mortuus est!« et bracchio macro minaciter contra Haucum sublato: »Exsecror te! Tu illum occidisti,

1 **calidris*, -idis f. orig. *Strandläufer*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Strandläufer> cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.1604: „καλιδρίς, ἡ, a speckled waterbird, prob. redshank, Scolopax calidris, ARISTOTELES, Historia Animalium 593 b 7 (v.l. καλιδρίς).“

2 »*Vicis mūtātūr!*« orig. *Umschicht!*

3 *branca*, -ae f. orig. *Tatze*. cfr Georges, Ausführl. Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.I, col.860: „branca, -ae f., die Branke, die Pfote, lupi, ursi, Gromat.vet.309,2 u.4.“ - cfr ThLL vol.02 (B-Byzeres), col.2163 s.v. „*branca*, -ae f. [orig. inc. Th.]. [val. brâncă, ital. branca, francog. branche, hisp. branca. M.-L.] GROM. p. 309, 2 terminus sive petra naturalis si branca(m) lupi habuerit facta(m), arborem peregrinam significat. 309,4 si branca ursi habuerit. **AVG. serm.ed. Mai 161,4 panem domino suo mortuo canis porrigebat et brancis, ut poterat, ad comedendum invitabat et voce.**“ *O quam stupenda est fides canina! Quam pulchrê eandem describit Augustinus!*

4 *cattus *angorānus* orig. *Angorakater*.

5 *crângôn*, crângônis f. orig. *Porre*. cfr <https://de.wikipedia.org/wiki/Nordseegarnele>. cfr Liddell-Scott, op.mem., p.988: κραγγών, όνος, ἡ, a kind of καρίς, prob. *Squilla mantis*, ARISTOTELES, Historia Animalium 525 b 2...”

tu nequam grassator litoralis, tu non dignus fuisti, qui illius caudam peniculo extergeres!« Anus irata se bestiae superiecit et encombomate usa tenerrimè abstersit sanguinem, qui adhuc effluebat e catti naso et rostro; deinde denuo coepit lamentari.

»Esne iam finitura?« Haucus aniculae acclamavit. »Audi quid tibi dicam: Afferam tibi cattum, qui contentus erit sanguine murium rattorumque!«

Deinde puer abiit, quasi nihil iam curaret. Attamen puto eum catto mortuo aliquatenus esse perturbatum. Nam cum domos advenisset, patris reliquasque praeteriit et per longum spatium versus meridiem in aggere iit in urbem.

Interim etiam Catharina Iohannea¹ eâdem in viâ eandem in directionem migravit; quae onus gerebat indumento pulvini caeruleo colore scutulato involutum brachiisque impositum, quod tam diligenter circumplexa est quasi esset infantulus; capilli aniles levi aurâ vernali huc illuc volitabant. »Quid tecum portas, Catharina?« agricola quaesivit in mulierculam incidens. Ea autem: »Aliquid carius tuâ villâ tuoque praedio« respondit; deinde Catharina sedulê iter perrexit. Cum domui veteris Haieni infra sitae appropinquaret, anus per semitam obliquê ad latus aggeris deorsum aut sursum ducentem descendit ad domos.

Tedus Haienus senex modo ante ianuam stans suspexit in caelum. Īdem, cum ante se staret anus anhelans baculumque humo imprimens: »Heus Catharina!« inquit, »Quid novi affers sacco tuo?«

»Primo sine me ire in conclave, Tede Haiene! Deinde rem videas!« Necnon eum aspexit oculis mirê scintillantibus.

»Ergo venias!« Tedus vetus dixit cogitans quidnam ad se valere oculos istius stultae éxcetrae.

Cum ambo intravissent, anus loqui perrexit: »Aufer veterem cistulam tabaci et utensilia scriptoria a mensâ – quidnam tu habes semper scribendum? – Bene factum. Nunc deterge mensam!«

Vetus Tedus paene curiosus factus omnia fecit, quae illa dixit; deinde Catharina ambabus cuspidibus indumenti pulvini arreptis magnum catti cadaver in mensam deiecit. »En habes!« vociferata est; »Haucus tuus eum occîdit«. Deinde autem Catharina coepit amariter flere; pellem bestiae mortuae densam permulcebat, brancas inter se composuit, longum nasum suum capiti catti imposuit inque aures bestiae susurravit verba blandissima non intellegibilia.

Tedus Haienus haec vidit. »Itane factumst?«, inquit, »Haucusne eum occîdit?« Tedus nescivit, quidnam faceret de mulierculâ eiulante.

Vetula vultu truci ei annuens: »Ita, ita« inquit, » - mi Deus – factumst!« Manu autem arthritide incurvatâ lacrimas ex oculis detersit. »Nihil mihi restat vividum, nullus parvulus, nullum animal!« lamentata est. »Certê tu quoque scis nos aetate proveciores post Dies Omnium Sanctorum laborare pedibus frigentibus vespere in lecto iacentes, et pro eo, ut dormiamus, audimus ventum caurum² foriculas³ nostras

1 *Catharīna Iohannēa* orig. *Trin' Jans*.

2 *caurus*, -i m. orig. *der Nordwest(wind)*.

3 *foricula*, -ae f. orig. *Fensterladen*. VARRO, De re rustica 1,59,1 Et ideo oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant atque ut eae perflentur curant, neque tamen sine **foriculis**, ne, cum umorem amiserint, pertinaci vento vieta fiant; ideoque in iis camaras marmorato et parietes pavimentaue faciunt, quo frigidius sit.

percutientem, ut crepitent. Quem strepitum non libenter audio, Tede Haiene, nam iste venit inde, ubi filius meus limo est submersus».

Tedus Haienus annuit, vetula autem pellem catti mortui permulsit. »Is autem«, sermonem pergens inquit, »cum hieme sedebam ad rhombum netorium¹, is sedebat apud me necnon nebat et me aspectabat caesiis suis oculis! Et cum frigans in lectum regebam – is sine morâ ad me assiliebat pedibusque meis frigentibus se imponebat, et nos unâ calefacti dormiebamus, quasi mihi adhuc in lecto esset vir mihi amatissimus!«

Mulier vetula, quasi cuperet haec recordata assensionem, virum iuxta se stantem aspexit oculis coruscantibus.

At Tedus Haienus respondit consideratê: »Scio, quid tibi consulam, Catharina Iohannea«, et iit ad capsam suam et e forulo reciproco sumpsit monetam argenteam et »Dicis« inquit, »Haucum tibi hanc bestiam interfecisse, et ego scio te non mentiri; sed hîc est thalerus coronarius Christiani IV.i, quo accepto eme tibi pellem agninam tannatam² ad pedes frigidos calefaciendos! Catta nostra si mox catulos pepererit, eligas tibi maximum omnium, et unâ et alterâ re inter se coniunctis certê compensabitur cattus angoranus aetate decrepitus! Nunc autem sume istam bestiam et meâ causâ affer ad officinam excoriatoris³ oppidanam, et opprime ôs, ne cui narres istius bestiae cadaver hîc positum esse in mensâ meâ purâ atque sincerâ!«

Iam inter hunc sermonem mulier thalerum arreptum perulae indiderat, quam sub gunnis⁴ suis gerebat; deinde cattum indumento pulvini denuo infarsit, encombomate maculas sanguinis a mensâ deterisit, rigidis pedibus foras egressa est. Necnon »Cave« in domum vocavit »ne obliviscaris cattaee catulum!«.

FABULAM NOVELLAM
EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM
C.T.
Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS

¹ **rhombus *nētōrius**, orig. *Spinnrad*. cfr Johann Adam Schmerler, Deutsch-Lateinisches Wörterbuch, Erlangen 1794, p.121, s.v. Spinnrad: rhombus netorius.

² +**tannō**, -āre orig. *gerben*.

³ +**excoriātor**, -ōris m. *Racker* (i.q. *Schinder, Abdecker*).

⁴ **gunna**, -ae f. orig. *Rock*.

Theodorus Storm: Der Schimmelreiter (IV)
DE EQUITE LEUCIPPO
Capitulum quartum

– – Aliquanto postea, cum vetus Haienus in cellulâ angustâ huc illuc ibat, Haucus intravit avemque versicolorem in mensam coniecit; at cum maculam sanguinis adhuc cognoscibilem aspiceret in laminâ abstergendo albâ, tamquam obiter rogavit: ‚Quidnam est hoc?‘

Pater autem pedibus constitit: ‚Hic est sanguis, quem tu effecisti ut efflueret!‘

Tum puer vehementer erubescens: ‚Adfuitne *Catharina Iohannea* cum catto suo?‘

Senex annuens: ‚Cur‘ inquit ‚tu illum occîdisti?‘

Haucus denudavit bracchium suum sanguine oblîtum. ‚Hac de causâ; ille mihi avem abripuerat!‘

Senex his verbis nihil respondit; iterum coepit aliquamdiu huc illuc ire; deinde ante puerum pedibus constitit eumque paulisper tamquam mente absens aspectavit. Deinde: ‚Culpam cattâ contractam‘ inquit, ‚redêmi; at vide, Hauce, haec casa est nimis parva; in eâ duo domini non possunt sedere – tempus est te munus quaerere‘.

Haucus autem respondit: ‚Assentior tibi, pater; ipse iam sic cogitavi‘.

‚Quare‘« senex interrogavit.

‚Piget vacare a labore gravi atque honesto‘.

Senex: ‚Itane vero?‘ inquit, ‚Quânam re cattum occîdisti angoranum? Cave ne facias graviora!‘

‚Haud scio an dicas verê, pater; sed comes aggeralis fugavit servum suum minorem; eius munere velim fungi!‘

Senex denuo coepit huc illuc ire et exspuit sucum tabaci nigrum.

‚Comes aggeralis est baburrus, qui beluinâ est stultitiâ. Qui non esset comes aggeralis, nisi hîc munere iam functi essent eius pater avusque, nisi haberet undetriginta pascua. Cum Die Sancti Martini advenit et calculationes aggerum atque exclusarum sunt faciendae, îdem vir magistrum scholarem cibat asso anserino et mulso¹ et circulis triticeis² illique assidet et capite adnuit illi penna ordines numerorum decurrenti et ‚Bene, bene‘ inquit, ‚magister scholaris, Deus tibi congaudeat! Quam bene scis calculare?‘ At si quando magister scholaris calculare non potest aut non vult, necesse est comitem aggeralem ipsum hanc rem agere eumque sedere et scribere et scriptum delere, et magnum caput stultum erubescere et aestuare, et oculos protuberare sphaeris vitreis similes, quasi exire velit pauxillulum intellectûs, quod capiti inest.‘

Tum puer coram patre surgens miratus est illum tam bene loqui scire; numquam illum audiverat sic loquentem. Haucus autem: ‚Deus illum consoletur‘ inquit, ‚quia verê stultus est; sed *Elca* illius filia, ea scit calculare!‘

¹ **mulsum**, -i n. orig. *Met*.

² **circulus triticeus** orig. *Weizenkringel*.

Senex filium aspexit oculis acribus. ‚Heus Hauce‘, vocavit, ‚quidnam tu scis de *Elcâ Volkerts*?‘

‚Nihil, pater; magister autem scholaris mihi hoc narravit‘.

Senex his verbis non respondit, nihil fecit nisi consideratê nodum tabaci ex unâ buccâ movit in alteram.

‚Tune autem‘ inquit, ‚cogitas te ibi posse unâ cum illis calculare?‘

Tum filius: ‚Ita vero‘ inquit, ‚hoc certê fiet bene‘ et ôs eius graviter micuit.

Vir vetus caput concussit. ‚Bene, non impedio; experire fortunam tuam!‘

‚Gratias tibi ago, pater!‘ Haucus dixit et ascendit ad cubile suum in tabulato posito; ibi in margine lecti sedens deliberavit, curnam pater se rogavisset de *Elca Volkerts*. Scilicet eum novisse illam, puellam proceram duodeviginti annos natam, angustâ facie suffusculâ, superciliis obscuris, quae supra oculos feroces nasumque angustum concurrunt; sed vix umquam cum illâ verbo locutus erat; nunc veterem *Tedum Volkerts* aditurus voluit illam accuratius aspectare, ut cognosceret, qualis illa puella esset. Necnon statim nunc voluit abire, ne quis alius munus illud sibi auferret; nam vix advesperaverat. Itaque iacca diei dominicae optimisque caligis indutis Haucus bono animo profectus est.

Domus comitis aggeralis longê porrecta altis suis tumulis aquariis¹, praesertim ingenti fraxino, arbore totius vici altissimâ, iam e longinquo apparebat; avus eius, qui nunc erat, id est primus gentis comes aggeralis, aetate iuvenili cum esset, versus orientem a ianuâ domesticâ talem fraxinum plantaverat; sed duae arbores huiusmodi prius plantatae cum iam esse desiissent, haec fraxinus tertia ab avo mâne nuptiarum plantata, cuius frons semper semperque augescens vento hîc perpetuo adhuc agitata strepebat, quasi nuntiaret res iam pridem transactas.

Paulo post cum Haucus, qui erat longurio², ascenderet tumulum altum, cuius latera obsita erant rapis atque brassicis, vidit domini filiam, quae stabat iuxta ianuam domûs humilem. Unum *Elcae* bracchium paulum gracile laxê dependebat, altera manus visa est in dorso anulum illum apprehendere, qualis muro infixus est in utroque latere ianae, ut is qui ante domum equitabat, equum huic anulo alligaret. Hôc vespere tranquillo puella fuscula illinc oculos trans aggerem ad mare directos habens ultimo splendore solis in aquam delabentis visa est inaurari.

¹ **tumulî aquârîi** orig. *die Werfte*. cfr https://www.storm-gesellschaft.de/uploads/media/Der_Schimmelreiter.pdf:

„Wörterklärungen „Für binnenländische Leser“, p.49: „**Werfte**, zum Schutze gegen Wassergefahr aufgeworfener Erdhügel in der Marsch, worauf die Gebäude, auch wohl Dörfer liegen“. – cfr PLIN.nat.XVI 1,2-3 (ed. König/Hopp, München 1991, p.14sq.): *...Sunt vero et in septentrione visae nobis (sc. gentes) Chaucorum, qui maiores minoresque appellantur. Vasto ibi meatu bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus in immensum agitur oceanus, operiens aeternam rerum naturae controversiam dubiamque, terrae sit an partem maris. Illic, misera gens, tumulos optinent altos aut tribunalia exstructa manibus ad experimenta altissimi aestus, casis ita inpositis navigantibus similes, cum integant aquae circumdata, naufragis vero, cum recesserint, fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur.* Ceterum König et Hopp (op.mem., p.17) verba Plinii, q.s. **tumulos optinent altos aut tribunalia exstructa manibus ad experimenta altissimi aestus**, verbis in theodiscum convertunt, quae sequuntur: „auf hohen **Halligen**, oder auf künstlichen, der erfahrungsgemäß höchsten Flut angemessenen **Dämmen**..“.

² **longuriō**, -ōnis m. Haucus longurio orig. *der lang aufgeschossene Hauke*. VARRO sat.Men.562 cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.II, col.700, s.v.: „longurio, ōnis, m. (longus) ein **b a u m l a n g e r K e r l**, eine **H o p f e n s t a n g e**, Varro sat.Men.562.“ – cfr OLD p.1042, s.v.: „longuriō ~ōnis m. [LONGUS; for term. cf. centurio : centum, Mercurius : merx] A tall person. nihil video: ita hic obscurat qui ante me est, nescio qui longurio. VAR.Men.562.“

Haucus aliquanto lentius tumulum ascendens secum cogitavit: ›Sic si illam aspicio, haud malâ formâ esse videtur!‹ Deinde supra advēnit. ‚Bonum vesperum!‘ illam accedens dixit; ‚quonam spectas magnis tuis oculis, Dominula Elca?‘

Elca ‚In illam rem‹, inquit, ›quae hîc fit omni vespere, sed non omni vespere est visibilis‘. Tum puella anulum e manu sivit decidere, ut murum illidens resonaret. ‚Quidnam vis, Hauce Haiene?‘ eadem rogavit.

Haucus autem dixit: ‚Id volo quod spero tibi non fore iniucundum‘. ‚Cum pater tuus servum minorem fugaverit, cogito fieri posse, ut munus apud vos suscipiam‘.

Elca Haucum a vertice ad pedes aspexit. Deinde dixit: ‚Adhuc es nimis gracilis¹, Hauce! Sed duo oculi acres nobis utiliores sunt quam brachia robusta!‘ Haec dicens Elca Haucum aspexit oculis ferê austeris, sed puer iisdem fortiter restitit. Tum Elca: ‚Nunc vĕni‘, inquit; ‚dominus inest conclavi, intremus!‘

Postridie Tedus Haienus cum filio intravit conclave comitis aggeralis spatiosum; parietes vitrat² lamnis fictilibus³ erant obtecti, in quibus spectator delectabatur hîc nave aliqua plenis velis instructâ aut hamiotâ in loco ripae sedente, illîc bove aliquo masticante ante villam rusticam cubante; haec durabilis charta muralis interrupta erat ingenti lecto parietali foriculis nunc commovendo clausis instructo et armario parietali, per cuius duas foriculas vitreas apparebant varia vasa porcellanea atque argentea; iuxta ianuam propinqui conclavis pretiosi⁴ post quadram vitream batavicum horologium pulsorium⁵ parieti erat impositum.

Dominus robustus, aliquantulo apoplecticus⁶ ad extremam mensam tergendō purgatam in arcisellio insidebat laneo tomento versicolori. Qui manibus supra ventrem complicatis rotundis oculis torpidis saturatus spectavit ad ossa anatis pinguis; culter fuscinulaque ante eum in catino iacebant.

Cum Haienus ‚Salve, comes aggeralis!‘ dixisset, vir appellatus lentê caput oculosque convertit ad eum.

‚Heus Tede, tun’ ades?‘ respondit voce, quae quadamtenus mutata erat pingui anate consumptâ, ‚conside; est via sat magna a te huc ad me!‘

Tedus Haienus autem, cum in angulo scamno praeter parietem posito insideret ex adverso comitis aggeralis: ‚Venio, comes aggeralis‘ inquit, ‚quia inter te, qui es a servo tuo minore molestiâ affectus, et filium meum convĕnit, ut is supponatur in locum illius!‘

1 **Adhūc es nimis gracilis, Hauce !** orig. *Du bist noch was schlanterig, Hauke !*

2 ***vitro, *vitrae:** orig. *glasuren* (i.q. *glasieren*). cfr ***vitratūra**, -ae f. theod. *die Glasur*. cfr Stephanus Hathuani: *Thermae Varadienses, examini physico et medico subjectae ... item de illarum .., Viennae 1777, p.4:* „Tum dimidium fere huius salis, rursus in aqua pura fontana solvi; ac in vasi fictili, evaporationi commisi. Deinde patinae **vitrateae** (mázos) infudi ac refrigerio exposui . Verum residua materia, perinde fundo patinae adhaesit firmissime, quam ante lebetis aenei. Tanta enim vi abradere debui, ut fere ipsa **vitratūra** patinae laederetur.”

3 **lamna fictilis** orig. *Kachel*.

4 **conclāve pretiōsum** orig. *Pesel*.

5 **hōrologium pulsōrium** orig. *Schlaguhr*.

6 **aliquātenus apoplēcticus** orig. *etwas schlagflüssig*.



ECCE CONCLAVE DOMŪS FRISIANAE PRETIOSUM, QUOD APPELLATUR PESEL.

Deinde comes aggeralis capite adnuit: ‚Ita, ita, Tede; sed – quid dicis verbo molestiae? Nos paludicolae¹, Deus nos consoletur, habemus aliquid, quod contra molestiam sumamus!‘ Tum vir cultrum sibi antepositum sumpsit eodemque ossa miserae anatis pulsavit, quasi eam tenerê palparet, et suaviter ipse sibi arridens addidit: ‚Haec anas‘ inquit, ‚fuit avis mihi dilectissima; quae mihi e manu comedebat!‘

Vetus Haienus ultima verba illius negligens: ‚Cogitaram‘ inquit, ‚illum verberonem² in stabulo tibi malum fecisse‘.

1 *palūdicolae*, -ārum m.pl. orig. *Marschleute*.

2 *verberō*, -ōnis m. orig. *Bengel*. Verbum *Bengel* sensu originali spectat ad fustem, quo servus vapulabat, sensu translato ad +vapulonem, i.e. servum vapulantem. Eodem fere sensu *verbero* derivatus est a *verbere*. cfr Georges, op.mem., tom.II, col.3417: “2. verbero, onis, m. (verber), eig. einer, der Schläge verdient, ein Schimpfwort, **Schlingel**, **Galgenstrick**, **Schurke**, Plaut.Amph.284: capt.551 u.a. Ter.Phorm.684. Cic.ad Att.14,6,1...“.

,Malumne? Iste fecit, Tede, verum malum! Iste porculus praepinguis³ vitulos non adaquaverat; sed in fenili iacuit prorsus inebriatus, et pecora cum siti vexarentur, per totam noctem vehementius clamaverunt, quam ut obdormiscerem; itaque necesse fuit me postridie usque meridiem dormiendo compensare insomniam nocturnam; talia si saepius fiunt, perditur res familiaris!‘

,Ita vero, comes aggeralis; sed non est periculum, ne talia accidant puero meo‘.

Haucus autem manibus in sacculos laterales abditis ad postem ianuae stabat et capite cervici imposito contemplabatur margines fenestrarum sibi adversarum.

Comes aggeralis autem oculis ad Haucum sublatis eidem adnuens: ,O Tede, tale periculum‘ inquit nunc patri quoque pueri adnuens, ,non timeo; Haucus tuus certê non perturbabit tranquillitatem meam nocturnam; magister enim scholaris hoc mihi iam dixit, tuum puerum malle ante abacum sedere quam ante hyalum vini adusti‘.

Haucus autem hanc laudem non audivit, nam Elca conclave intraverat et manu levi partes ciborum reliquas de mensâ sustulit puerum oculis obscuris obiter aspiciens. Tum puer illam conspexit. ›Per Deum atque Iesum‹ secum cogitavit, ›haec puella etiam nunc formâ est haud malâ!‹

Nunc, cum puella existiisset, comes aggeralis denuo coepit loqui:

,Certo scis, Tede, Dominum Deum nostrum mihi non concessisse filium!‘

Tum Tedus Haienus: ,Ita vero‘ inquit, ,mi comes aggeralis, sed noli hîc incommodo nimium contristari. Nam generaliter dicitur intellectum gentis in tertio membro deminui; nos omnes scimus avum tuum terram optimê procuravisse!‘

His verbis auditis comes aggeralis paulisper meditatus perturbari visus est. ,Quidnam sentis his verbis, Tede Haiene?‘ dixit et in arcisellio corpus erexit, ,equidem ipse sum in tertio membro gentis comitum aggeralium!‘

,Ita vero! Scilicet. Des veniam, oro, comes aggeralis; sic enim dicitur!‘ Tedus Haienus autem gracilis veterem illum virum dignitarium aspexit oculis paululo malevolis.

Is autem animo securo: ,Ne sinas tibi‘ inquit, ,talem stultitiam ab aniculis insusurrare, Tede Haiene; ignoras enim filiam meam ter melius calculare me ipso! Hoc tibi sit persuasissimum Haucum tuum, ne loquar de operibus in campo faciendis, etiam hîc in conclavi meo pennâ atque stilo usus calculando haud pauca discere posse, quae sibi non nocebunt!‘

Tum Haienus vetus ,Verum enim vero, comes aggeralis, filius meus certê permulta discet; omnino tibi assentior!‘ cum dixisset, coepit depecisci nonnulla commoda

³ iste porculus praepinguis: orig. *dieser fette Mopsbraten*. En habes duo nomina alia irrisoria vel increpatoria, quibus appellabantur (inurbane) homines crassi, pingues, obesi: **galba**, -ae m. cfr Walde, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, tom.I, 4.ed., Heidelberg 1965, p.577: „galba, ae m. ,**Schmerbauch**‘, Beiname der gens Sulpiciorum, nach Suet.Galba 3,1 gallische Bezeichnung für ‚praepinguis‘...“. cfr SÜETON.Galba 1,3 ... Qui prius Sulpiciorum cognomen Galbae tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hispaniae frustra diu oppugnatum inlitis demum galbano facibus succenderit; alii, quod in diuturna valitudine galbeo, id est remediis lana involutis, assidue uteretur: nonnulli, **quod praepinguis fuerit visus, quem galbam Galli vocent**; vel contra, quod tam exilis, quam sunt animalia quae in aesculis nascuntur appellanturque galbae cfr aliud nomen irrisorium, quod adhibebatur ad hominem pinguem denominandum: Georges, op.mem., tom.II, col.1285: **Sêmicûpa**, -ae f., **H a l b f a ß**, **S c h m e r b a u c h**, als Schimpfwort, Amm.28.4.28.“

locationis⁴, quae vespere diei praeteriti a filio suo non erant respecta. Ita Haienus depectus est, ut Haucus autumnno praeter camisiae suas lineas etiam, ut frueretur mantisâ mercedis, acciperet sex paria tibialium laneorum; necnon depectus est, ut tempore vernali per octo dies pater filium haberet secum operantem, et ut fierent alia huiusmodi. Sed comes aggeralis paratus fuit ad haec omnia comprobanda. Nam Haucus Haienus ei visus est servus minor longê aptissimus.

– – Pater autem, cum modo domum reliquissent ‚Deus te consoletur, mi fili‘ inquit, ‚si iste vir tibi explicabit mundum!‘

At Haucus tranquillê respondit: ‚Mi pater, noli sollicitari; certê omnia bene fient‘.

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM
C.T. EST
Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**

⁴ locatiō, -ōnis f. orig. *Mietcontract*.

Theodorus Storm: Der Schimmelreiter (V)
DE EQUITE LEUCIPPO
Capitulum quintum

Nec Haucus prorsus falso erat opinatus; puer enim mundum aut id, quod ei valuit mundum, eo clarius intelligebat, quo minus adiuvabatur ab homine prudentiore, et quo magis ei utendum erat facultate propriâ, quâ antea iam erat nixus. Unus quidem vir in domo erat, cui Haucus videretur servus parum aptus; is fuit *Olaus Petersius* servus maior, navus operarius, socius linguâ promptus. Eidem ille, qui prius fuerat servus minor, magis placuerat, ille piger, sed stultus et robustus, cuius umeris securê orcam avenae imposuerat et quem ad arbitrium suum huc illuc agitaverat. E contrario Olaus non potuit eodem modo tractare Haucum etiam tranquilliorum, sed mentis acumine sibi praestantem; is enim Olao servo maiori solebat more proprio aspectandi indicare voluntatis suae firmitatem. Tamen Olao contingebat, ut eligeret labores ab Haucis exanclandos, qui corpori nondum firmato essent periculosi. Haucus autem, cum servus maior dicebat »Utinam vidisses *Dionysium*¹ crassum talia facientem, illi talia feliciter succedebant«, pro virili parte tales labores suscipiebat et, quamvis aegrê, tamen absolvebat. Feliciter autem plerumque accidebat, ut Elca aut ipsa aut ope patris sui impediret, tanti labores ne Haucis exanclandi essent. Nescio an quaeras, quânam re homines unus ab alterâ prorsus alienus interdum inter se coniungantur; fortasse et puer et puella ambo quadamtenus nati erant ad calculandum nec puella passa est sodalem frangi laboribus nimis crassis.

Hieme quoque discordia servi maioris et minoris non mitigata est, cum post Diem Sancti Martini variae rationes nummariae allatae essent revidendae.

Fuit quidam vesper mensis Maii, sed talis tempestas fuit, qualis solet esse die mensis Novembris; intra domum audiebatur aestus marinus foris post aggerem tonans. Tum dominus: ‚Heus Hauce‘ inquit, ‚ingredere; nunc demonstres, num scias calculare!‘

Ille autem: ‚Domine honorabilis‘ inquit (nam sic nostrates appellant dominos suos), ‚iussus sum primo cibare pecora iuvenilia !‘

‚Elca!‘ comes aggeralis vocavit. ‚Ubi es, Elca? – I ad Olaum et dic ei, ut cibet pecora iuvenilia; Haucus oportet calculet!‘

Elca autem properavit in stabulum et rem mandavit servo maiori, qui modo suspendebat recto loco ornatûs equorum interdium adhibitos.

¹ *Dionysius*, -ii m. orig. *NiB*.

Olaus Petersius freno lupato¹ tam vehementer impulit statumen, iuxta quod operabatur, quasi idem totum vellet discutere in partes minutissimas. „Pereat iste scriptorculus exsecratissimus!²,

Elca autem haec verba audivit antequam clausit ianuam stabuli.

„Quid nunc?“ quaesivit pater ex Elcâ conclave intrante.

„Olaus voluit rem iam curare“ filia respondit paululum labra mordens, et ex adverso Hauci consedit in sellâ ligneâ scalpendo crassê fabricatâ; tales sellae illo tempore adhuc hîc vesperis hiemalibus conficiebantur. Elca autem e forulo reciproco exemerat album tibiale rubris imagunculis avium ornatum, quod acu texere³ nunc perrexit; creaturae longipedes tibiali insitae nescio an fuerint ardeae an ciconiae. Haucus adversus Elcam sedebat, calculationibus deditus, ipse comes aggeralis in arcisellio suo requiescebat et somniculosê nictabat versus Hauci pennam; in domo comitis aggeralis duo sebacia⁴, et ante ambas fenestras marginibus plumbeis circumdatas foriculae extrinsecus appulsae erant et intrinsecus attractae; licebat flaret ventus vehementissimê. Interdum Haucus a labore exanclando aversus caput tollebat et per momentum temporis aspiciebat tibialia aviaria aut faciem puellae angustam atque tranquillam.

Tum subito ex arcisellio rhonchus editus est magnus, et inter ambos iuvenes huc illuc volavit subrisio et conspectus oculorum, deinde paulatim secuta est respiratio tranquillior; licuit paululum garrere; sed Haucus nescivit, quidnam garriret.

Cum autem Elca res acutextorias⁵ elevaret, ut aves nunc integrae apparerent, Haucus susurravit trans mensam: »Ubi hoc didicisti, Elca?«

„Quidnam didici?“ puella rogavit.

„Aves acu texere“ Haucus dixit.

„Hocine? A *Catharinâ Iohanneâ* illâ quae habitat foris ad aggerem; quae scit nonnulla; quae olim apud avum meum munere functa est“. Sed illo tempore nondum

1 **frĕnum lupĀtum** orig. *Trense*. cfr Franz Anton Meyer, Abhandlung über verschiedene im Königreiche Bayern aufgefundenene römische Altherthümer, München 1840, p.29sq.: „...**Trensens** hießen bei den Römern **lupi, lupata, fr(o)ena lupata**. Horaz macht von einer solchen Trense Meldung (HOR.carm.I 8 Cur neque militaris/ inter aequales equitat, gallica nec lupatis/ temperat ora frenis), wenn er die Lydia tadelt, daß sie den jungen Sybaris in sich verliebt, und zum Kriegsdienste unfähig gemacht hat. Virgil (Georg.III 206) giebt im dritten Buche (Namque ante domandum/ ingentes tollent animos prensique negabant/ verbera lenta pati et duris parere lupatis) seiner Landwirthschaftslehre die Regel an, daß man die jungen Pferde, bevor sie gut genährt werden, zügeln, und erst, wenn sie gut gezügelt sind, recht reichlich nähren soll, weil sie, wenn man diese Ordnung verkehrt, keine Schläge achten und der Trense nicht mehr Folge leisten“.

2 **Pereat iste scriġtorculus exsecrĀtissimus!** orig. *Hol der Teufel den verfluchten Schreiberknecht!* ***scriġtorculus**, -ī m. cfr René Hoven, Lexique de la Prose Latine de la Renaissance, Leiden/New York/Köln 1994, p.325 s.v.: "un écrivassier: OBSOPOEUS in Praef.378,18. – dim de scriptor, avec connot. péjor." – cfr DESIDERIUS ERASMUS, Literary and Educational Writings, tom.6, p.548: „44 *lectiuncula*] This unusual word is actually used once by Cicero, *Ad familiares* 7.1.1 (and was so recorded by Nizzoli) and Erasmus has presumably remembered it from Cicero, but he seems to have invented **scriptorculus**. These two words are derivatives formed with a diminutive suffix. See De copia CWE 24 338-9 for Erasmus' views on the validity of new formations; for his predilection for diminutives, see D.F.S. Thomson, 'The Latinity of Erasmus#, in: Erasmus 125-6.'"

3 **acū texere** orig. *stricken*.

4 **sĕbĀcium**, -ī n. orig. *Unschlittkerze*. cfr APUL.met.4,19. cfr OLD s.v. „A tallow candle“.

5 **Rĕs *acūtextōriae** orig. *das Strickzeug*. cfr Franciscus Pomay, Magni Dictionarii Regii Trium Linguarum, nempe Latinae, Gallicae et Germanicae, Pars secunda, Augustae, Francofurti et Lipsiae 1767, p.188: "Hosenstricker, m. *un bonnetier ou chaussetier*, tibialium acutextor, m."...

nata eras?‘ Haucus interrogavit. ‚Certê nondum; sed functa quoque munere Catharina saepe in domum nostram vênit‘.

‚Illane amat aves?‘ Haucus interrogavit. ‚Putavi illam magis diligere catts‘.

Elca autem caput concussit. ‚Ea alit anates, quas vendat; sed vere praeterito, quo tu cattum angoranum occîderas, in stabulum aniculae posticum ratti invaserunt; nunc illa vult ante casam aedificare stabulum novum‘.

»Itane?« Haucus inquit submissê per dentes sibilans, »eo fine illa lutum lapidesque ex locis aridis apportavit! At aedificando illa tanget viam intermediam! Num illi mulierculae est concessio?« -

»Nescio« Elca respondit. At Haucus ultimum verbum pronuntiaverat tantâ voce, ut comes aggeralis e somno excitaretur. »Quidnam de concessione?« rogavit et vultu paene fero ab uno ad alteram conspexit.

»Quidnam loquimini de concessione?«

At ab Hauco de re certior factus ei umerum ridens impellens: »Ah, quid rêfert?« inquit, »Via intermedia est sat lata; Deus comitem aggeralem consoletur, quidnam îdem curet etiam stabula anatum!«

Haucum cum misereret, quod non multum afuerat, quin aniculam eiusque anaticulas exponeret rattis, hanc opinionem concessit.

»Tamen, Domine honorabilis¹« inquit, »nonnullis prodesset quaedam reprehensiuncula², et si tu ipse eos non vis reprehendere, referas de illis mandatario³, cuius est curare, ut praecepta aggeralia⁴ ritê observentur!«

»Quid ait puer?« Comes aggeralis prorsus erectus consedit, et Elca aures arrigens sivit delabi tibiale artificiosum.

»Ita, Domine honorabilis!« Haucus loqui perrexit, »inspectionem vernalem iam habuisti; tamen *Petrus Iansenius* in agro suo usque hodie non resecurit malas herbas; aestate ibi cardueles⁵ certê ludent laetantes circa carduorum flores rubros! Proximê autem iuxta malas herbas – nescio cuius sit – in latere externo aggeri inest vera caverna; tempestas suda cum est, haec caverna⁶ plena est puerorum, qui ibi in luto se volutant; at – Deus nos servet ab inundatione!«

Oculi veteris comitis aggeralis etiam etiamque erant dilatati.

»Deinde autem...« Haucus denuo dixit.

»Quid deinde, puer?« comes aggeralis interrogavit, »nonne iam finivisti?« Haec verba sonuerunt, quasi eidem iam nimis longus fuisset sermo servi minoris.

»Porro, Domine honorabilis« Haucus loqui perrexit, »novisti *Vollinam* crassam filiam mandatarii *Hardersii*, quae semper patris sui equos adducit e pascuo – ista suris

1 **Domine honôrâbilis** orig. *uns Weert*.

2 **reprehensiuncula**, -ae f. orig. *ein kleiner Zwickel*. cfr J. Ramminger, *reprehensiuncula*, in ders., *Neulateinische Wortliste. Ein Wörterbuch des Lateinischen von Petrarca bis 1700*, URL: www.neulatein.de/words/2/003646.htm (benutzt am / used on 25.8.2018)

3 **mandâtârius**, -iī m. orig. *Gevollmächtigter*. cfr Sebastian Adam Krafft, *Kurzes juristisch-praktisches Wörterbuch*, Erlangen 1821, p.223: „mandatarius Bevollmächtigter, Sachwalter, Beauftragter...“.

4 **praecepta aggerâlia** orig. *die Deichordnung*

5 **carduêlis**, -is f. orig. *Stieglitz*, i.q. *Distelfink* (genus avium), cfr Bibliotheca Leonis Latini, *Historia carduelis*.


6 **caverna**, -ae f. orig. *Wiege*.

rotundis ut est, sedens in equâ vetere flavâ, agedum! – semper obliquê equitat praeter aggeris declivitatem!¹«

Haucus nunc demum animadvertit Elcam oculos suos sagaces in se direxisse et submissê caput concutere. Haucus autem conticuit, sed pugno senis mensae impulso aures Hauci resonuerunt; »Utinam fulmen in istam iniciatur!« comes aggeralis vociferatus est, et Haucus paene territus est voce illius stentoreâ², quae subito erupta erat. »Ista solvat multam! Notâ istud bacciballum³, ut solvat multam⁴, Hauce! Ista puella mihi aestate praeteritâ abstulit tres anaticulas! Ita, ita notâ bene« repetivit Hauco cessante: »Ni fallor, illa captavit quattuor!« -

»Heus pater« Elca inquit, »nonne lutra⁵ captavit anates?«

»Tantane lutra?« senex vocavit anhelans. »Equidem scio distinguere Vollinam a lutrâ! Verum enim vero, quattuor anates illa abstulit – ceterum ad ea quae dixeras, dominus comes aggeralis superior et ego, postquam unâ in meâ domo ientavimus, tempore vernali praetervecti sumus malas herbas cavernamque a te memoratas – tamen non vidimus. Vos autem ambo« - et compluries graviter adnuit Hauco filiaeque suae - »Deo gratias agite, quod non estis comes aggeralis! Talis enim vir quamvis duobus tantum oculis praeditus oportet videat oculis centum - - Sumas, Hauce, rationes nummarias, quae spectant ad opera stramenticia⁶, et inspice eas; isti viri saepe calculant nimis negligenter!«



ECCE LUTRA ANATEM DEVORANS

¹ **dēclīvitās**, -ātis f. orig. *Dossierung*.

² **vox stentorēa** orig. *Bärenstimme*. Stentōr (Στέντωρ) fuit Graecus contra Troianos pugnans, qui tanta voce potuit clamare, ut aequaret vocem quinquaginta virorum (IUV.13,112 tu miser exclamas, ut Stentora uincere possis). ***stentoreus**, -a, -um: cfr nomen ornithologicum: *Acrocephalus stentoreus Stentorrohrsänger*.

³ **istud bacciballum** orig. *das dicke Mensch*. **bacciballum**, -i n. PETRON.61,6, cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-deutsches Handwörterbuch, tom.I, 14.ed., Hannover 1976, col. 775: „bacciballum, i, n. (bacca), etwa d i c k e N u d e l, unser vulg. d i c k e H u s c h e l (v. einem beliebten Frauenzimmer), pulcherrimum bacciballum, Petr.61,6.“

⁴ **ut solvat multam!** orig. *zur Brüche!*

⁵ **lutra**, -ae f. orig. *die Otter*. PLIN.nat.8,109; 32,144.

⁶ **opera strāmentīcia** orig. *Bestickungsarbeiten*

Deinde comes aggeralis denuo corpus reclinavit in arcisellium suum, quod ponderosum aliquoties huc illuc semovit, et mox se dedit somno securo.

Talia nonnullo vespere fiebant. Haucus acribus oculis praeditus, cum considebant, sibi non temperabat, quin seni in rebus aggeralibus tractandis hoc aut illud ante oculos poneret, quod sive factum erat sive omissum. Necnon nunc, cum comes aggeralis oculos non iam clauderet, improvise res aggerales administrati sunt agilius atque vigilantius et ii, qui prius socordiâ atque negligentîâ inveteratâ peccare numquam desierant, nunc contra expectationem cum sentirent se puniri propter nequitiam aut pigritiam suam, indignati atque obstupefacti quaerebant, undenam plâgas accepissent.



**ECCE OPERA STRAMENTICIA
QUIBUS AGGER PROTEGITUR
Pinxit Alexander Eckener.**

Olaus autem servus maior non cessabat nuntium diffundere quam latissimê, ut apud illos homines odium concitaret Hauci eiusque patris quoque, qui non potuit, quin culpae particeps fieret; alii autem, ad quos res non spectabat, aut quibus cordi erat rerum gerendarum diligentia, ridebant ausgedientes, quod iuvenis animum senis fatigatum aliquatenus refocillasset. »Dolendum quidem est« inquit, »quod iste catulaster est parum locuples¹; alioquin fieret aliquando talis comes aggeralis, quales fuere priores; at pauca ista iugera patris parum sufficiunt!²«.

Proximo autumnno, cum dominus magistratus îdemque comes aggeralis superior³ veniret ad inspectionem faciendam, veterem *Tedum Volkertsium*, a quo urgebatur ad ientaculum sumendum, aspectans a vertice usque ad pedes: »Verum enim vero!« inquit, »comes aggeralis, profecto mihi videris decennio factus esse iuvenilior; tot rebus propositis me calefecisti, ut dubitem, an hodie haec omnia absolvamus!«

Tedus autem respondit submissê subridens: »Absolvemus, certê absolvemus, Severe Domine comes aggeralis superior. Hôc asso anserino sumpto certê vires nostrae recreabuntur! Deo gratias ago, quod adhuc semper vigeo valeoque!« Îdem vir in

¹ **Dolendum quidem est, quod iste catulaster est parum locuples** orig. *Schad' nur, daß der Bengel nicht den gehörigen Klei unter den Füßen hat.*

² **At pauca ista iugera patris parum sufficiunt!** orig. *aber die paar Demant seines Alten, die täten's denn doch nicht!*

³ **dominus magistrâtus îdemque comes aggerâlis superior** orig. *der Herr Amtmann und Oberdeichgraf.*

conclavi circumspexit investigans, num Haucus esset in propinquo; deinde quadam cum tranquillitate dignitatis plenâ addidit verba haec: »Itaque per Deum spero fieri posse, ut adhuc per nonnullos annos benedictos fungar munere meo«.

Tum is vir, qui erat Tedo praepositus: »In hanc autem spem« inquit, »care comes aggeralis« nunc propinemus hunc hyalum«. Elca, quae ientaculum praeparaverat, modo hyalis collisione resonantibus submissê ridens exiit per ianuam conclavis. Deinde puella patinam purgamentorum plenam e coquinâ allatam ut ante ianuam externam volatilibus proiceret, iit per stabulum. Ibidem stabat *Haucus Haienus* furcâ fenum infigens faliscis¹ vaccarum, quas propter malam tempestatem iam nunc stabulis imponere necesse fuerat. Haucus puellâ conspectâ furcam humo impegit. »Heus Elca!« dixit. Puella pedibus constitit pueroque adnuit. »Heus Hauce, utinam modo intra fuisses !«

»Hocine optas? Curnam, Elca?«

»Dominus comes aggeralis superior laudavit oeconomum²!«

»Oeconomumque? Quid hoc ad me?«

»Ille laudavit comitem aggeralem!«

Facies iuvenis facta est ruberrima. »Certê scio« inquit, »quidnam dicas his verbis!«

»Noli erubescere, Hauce. Nam scilicet te ipsum fuisse, qui laudaretur a comite aggerali superiore !«

Haucus autem puellam aspexit leviter subridens. »Tu quoque laudata es, Elca!«

At ea caput concussit. »Nequaquam, Hauce; dum ego sôla fueram adiutrix, non eramus laudati. Ego enim nihil scio nisi calculare, at tu foris vides omnia, quae comes aggeralis oportet ipse videat, tu me superasti!«

»Nolui alios superare, te quidem minimê« Haucus dixit verecundê caput vaccae semovens. »Cave, mi vaccula maculosa³, ne devores furcam, iam iam accipies fenum totum!«

Puella autem breviter rem meditata: »Noli credere« inquit, »me dolere; hoc est enim negotium, quod spectat ad viros!«

Tum Haucus puellae bracchium suum porrexit. »Elca, da mihi manum, ut hoc mihi affirmes!«

Tum puella sub superciliis obscuris vehementer erubuit.

Elca vocavit: »Quare? Equidem non mentior!«

1 **falisca**, -ae f. orig. *die Raufe*.

2 **oeconomus**, -ī m. orig. *der (Haus)wirt, i.e. Tede Volkerts, qui est pater Elcae et comes aggeralis*.

3 **vaccula maculōsa** orig. *Rotbunt*. cfr **vaccula**, -ae f. OLD p.2000, s.v.: "uaccula ~ae f. [VACCA+VLA] A young cow, heifer. uaccula.... secreta cubilia captans *Lydia* 29. tenera... uaccula Priap.85.14. APUL.*Met.*7.25". - **maculōsus**, -a, -um cfr OLD p.1059, s.v.: "...1 Covered with stains or blotches, spotted, blotted.2a (of animals, etc.) Variegated, spotted or striped". - **Cavē, mī vaccula maculōsa, nē dēvorēs furcam, iam iam accipiēs fēnum tōtum!** orig. *Komm, Rotbunt, friß mir nicht die Furke auf, du sollst ja alles haben!* Deminutivum, q.e. vaccula, hōc loco velim sit hypocoristicum; nam Haucus blandê atque tenerê loquitur cum vaccâ, quia, quâ est verecundiâ, non audet sic loqui cum Elcâ.

Haucus voluit respondere; sed illa iam e stabulo exierat, et puer stabat furcam manu tenens et audiens anates gallinasque tetrinnientes⁴ gracillantesque⁵.

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM**

C.T. EST

**Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

PARS SEXTA

PARS SEXTA SEQUETUR !



⁴ **tetrinnio**, -ire orig. *schnattern*. cfr Georges, op.mem., tom.II, col.3095: „tetrinnio, ire, Naturlaut der Enten, s c h n a t t e r n , ANTHOL.LAT. 762,22 (233,22). " – cfr OLD p.1934, s.v.: “**tetrissitō** ~āre. intr. [onomat.] (of a duck) To utter its natural cry. anatum est tetrissitare. SUET.fr.161.(p.251 Re).


⁵ **gracillō**, -āre orig. *krähen*. Storm adhibet quidem verbum, q.e. „*krähen*“ (i.e. Latinê **cucurrīre**, SUET.fr.161p.251,4 R. ANTHOL.LAT.762,25 (233,25)), sed quia hoc potius quadrat ad gallos quam ad gallinas (*Hühner*), utor verbo latino, q.e. **gracillāre** (theod. „*gackern*“, ANTHOL.LAT.233,25 M.).

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars sexta



Ecce Sylvester Groth personam gerens Hauci Haieni

A.1984 televisio Germanicae Rei Publicae Democraticae (DDR) unâ cum televisione Polonicâ Nicolao (Klaus) Gendries scaenas dissignante cinema confecit secundum argumentum *Equitis Leucippi* Stormiani.

Mense Ianuario tertii anni muneris, quo fungebatur Haucus, instabat festum quoddam hiemale; quod nostrâ in regione appellatur festum *globulationis glacialis*¹. Gelu perdurante litoralibus ventis quiescentibus omnes fossae pascuis intersitae ita obtectae erant areâ glaciei firmâ solidâque, ut partibus terrae antea inter se dissectis nunc congelatis fieret lata planities aptissima, in quâ ad scopum iaciebantur globuli

¹ +**globulatiō glaciālis** orig. *Eisboseln*. cfr Christian Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.135: „Bowling... *globulatio, -onis f. [1543, Latham 65,213 ; Bowling spielen *globulare 1543, Latham 65,213]“.

lignei, quibus plumbum erat infusum. Omni die flabat lenis aquilo: iam omnia erant ordinata; aridicolae¹ in ecclesiastico vico² orientali trans paludetum³ sito, qui anno proximo praeterito vicerant, postulati, ut certarent, acceperant, utraque factio novenos globulatores delegaverat; etiam recuperator⁴ arbitrique⁵ erant electi. Ad arbitrorum munus suscipiendum, qui, si quae litigatio fiebat, agere debebant de iactu dubio, eligi solebant tales viri, quales rem suam sciebant quam optimè illustrare, libentissimè eligebantur catulastris, qui essent Minervâ crassâ, laetâ loquacitate. Inter eos erat *Olaus Petrides*, servus comitis aggeralis maior.

Īdem: »Dummodo vos« inquit, »globuletis cum subtilitate infernali, equidem gratis garriam quidquid mihi in buccam venerit!«

Die ante festum cum advesperasceret, aliquot globulatores in conclave secundarium *Caupona ab Urceo Paroeciali*⁶ supra in sicceto⁷ sitae venerant, ut decernerent de nonnullis iuvenibus recipiendis, qui sêro demum nomina dederant participando.

Etiam *Haucus Haienus* fuit inter eos; qui primum noluerat particeps fieri, quamvis non ignoraret, quam bene iaciendo exercita essent bracchia sua, sed timuit, ne ab *Olao Petridae*, qui in hōc ludo fungebatur munere honorabili, recusaretur; itaque Haucus sibi temperare voluit, ne acciperet repulsam.

At *Elca* undecimâ adhuc horâ Hauci mentem mutaverat; haec enim dixerat: »Hoc, Hauce, iste non audebit facere; qui est filius mercennarii; tuus autem pater possidet vaccam equumque et insuper est vir omnium in vico prudentissimus!«

»At quid faciam, si tamen hoc assecutus erit?«

Tum *Elca* eum ex oculis suis obscuris aspexit paene subridens. »Si hoc fecerit«, inquit, »vespere recusabitur saltaturus cum filiâ oeconomi sui!« – Tum Haucus Elcae adnuerat animo capto.

Nunc iuvenes, qui adhuc lusûs participes fieri voluerunt, frigentes pedibusque glaciem calcantes stabant ante Cauponam ab Urceo Paroeciali et suspiciebant ad summam turrinam ecclesiae saxi constructam, iuxta quam sita erat Caupona ab Urceo. Columbae parochi, quae aestate se nutriebant in campis vici, modo reverterunt ex agricolarum aulis fenilibusque, ubi grana sibi quaesiverant, et evaserunt sub scandulas turris, post quas habebant nidos; in occidente autem super Sinu maritimo stabat rubor vesperi ardentissimus. »Cras erit caelum serenum!« unus e catulastris

1 *āridicolae*, -ārum m.pl. orig. *die Geestleute*. cfr *palūdicolae* orig. *die Marschleute*. Alia nomina plausibilia **siccētānī* et **palūdētānī*. cfr **palūdētum*, -ī n.

2 *vīcus ecclēsiasticus* orig. *Kirchdorf*.

3 **palūdētum*, -ī n. orig. *die Marsch*

4 *recuperātor*, -ōris m. orig. *der Obmann*

5 *arbiter*, -tī m. orig. *der Kretler*.

6 *Caupōna ab Urceō Paroeciālī* orig. *Kirchspielkrug*. cfr Karl Ernst Georges, *Kleines Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch*, 9.ed., Darmstadt (WB) 1969, col.2795 s.v. zu I),1): „Auf den Schildern der Wirtshäuser heißt 'zu' im Lateinischen ab mit Abl., z.B. *zum Hahn, a gallo gallinaceo* (Inscr.).“ - cfr Johann Adam Schmerler, *Deutsch-lateinisches Erlangen* 1794, p.71: „Kirchspiel, dioecesis, parochia“.

7 **siccētum*, -ī n. v. James Johnstone, *Antiquitates Celto-Normannicae*, Copenhagen 1786, p.48: “II. Haec est divisa inter terram *Kirkercus* & terram monachorum; de *Myrosco* lacu qui dicitur *Hescana-appayse*, et ascendit in *siccetum* directe e loco qui dicitur *Munenysana*, ... (versio Anglica:) ...This is the line that divides the *Kirkercus* from the *Abbey Lands*., at the lake at Myre-shaw which is called *Hescana-appayse*, and goes up to the dry moor from the place called *Munenysana*, ...”

dixit et coepit huc illuc migrare; »sed frigidum! frigidum!« Alter autem catulaster, cum nullam iam columbam videret volantem, in domum iit et auscultans pedibus constitit iuxta conclavis ianuam, ex quo nunc sonuit vivida collocutio perturbata; etiam servus comitis aggeralis minor iuxta eum constiterat. »Audi, Hauce«, dixit ad eum; »nunc clamant de te rixantes!« et clarê audita est vox *Olai Petridae* crepitans: »Servi minores et pueruli non fient globulatores!«

»Veni«, alter susurravit Hauci manicam ad ianuam conclavis attracturus, »hîc disces, quanti te aestiment!«

At Haucus se abripuit et revertit ad locum ante domum situm. »Illi nos non excluserunt, ut haec audiremus!« retro vocavit. Ante domum tertius stabat eorum, qui nomina dederant participando. Is Hauco dixit: »Timeo, ne mihi sit quaedam difficultas. Vix habeo duodeviginti annos; utinam ne flagitent testimonium baptismale! Te, Hauce, servus tuus maior arbitrio suo certê a regulâ excipiet!¹«

At Haucus »Me non excipiet a regulâ!« mussitavit pede lapidem super viam proiciens; »me excludet e certamine!«²

Strepitus in conclavi exauctus est, deinde paulatim silentium exortum est; foris stantes iterum audiverunt lenem aquilonem, qui supra in turri ecclesiae summâ frangebatur. Auscultator ille iterum iit ad eos. »De quo intra locuti sunt?« interrogavit iuvenis duodevicenarius. »De hîc!« ille dixit digito Haucum indicans, »*Olaus Petrides* eum voluit reddere puerulum; at omnes contra istum clamaverunt: »Eius pater pecora habet et agrum«, dixit *Iohanniscus*³ *Hansen*. »Ita, agrum habet tantulum«, vocavit *Olaus Petrides*, »quantulum potes auferre tredecim carrulis!« – Ultimo loco locutus est *Olaus Hansen*. Qui »Tacete!« clamavit; »Ego vos hanc rem explicabo: Dicite mihi tantummodo, quisnam sit primus vir in vico?« Tum primo conticuere omnes et visi sunt deliberare; deinde vox aliqua: »Scilicet eundem esse comitem aggeralem!« Omnes autem ceteri vocaverunt: »Rectê quidem. Licet sit primus vir comes aggeralis!« – »At quisnam est comes aggeralis?« *Olaus Hansen* rursus vocavit; »sed nunc rem rectê deliberate!« – – Tum aliquis coepit submissê ridere, deinde alius quidam, usque dum in conclavi nihil auditum est nisi continua cachinnatio. Denique *Olaus Hansen*: »Ergo«, inquit; »advocate illum! An vultis comitem aggeralem ab ianuâ

1 **Tê, Hauce, servus tuus maior arbitriô suô certê ā rēgulā excipiet!** orig. *Dich, Hauke, wird dein Großknecht schon herauskreteln!*

2 **At Haucus »Mē nōn excipiet ā rēgulā!« mussitavit pede lapidem super viam proiciēns; »mē exclūdet ē certāmine!«** orig. „Ja, heraus!“ brummte Hauke und schleuderte mit dem FuÙe einen Stein über den Weg; „nur nicht hinein!“

3 ***Iohanniscus**, -ī m. orig. *Jeß*. cfr <https://www.wn.de/Archiv/2011/01/MV-Namensforscher-Jesse-geht-auf-den-biblischen-Johannes-zurueck>: „... In Nordwestdeutschland, im friesischen Gebiet und in Dänemark gab es einen gleichlautenden **Rufnamen** Jesse, **Jess**, der anderen Ursprungs ist. Durch Namengleichungen wie „Johannes Nystae“ = „Jesse Nyste“ (1357/1400) und „Jens Mathessen“ = „Jess Matissen“ (1426/28) ist gesichert, dass **Jess(e) hier als Variante von „Jens“ entstanden ist. Jens ist eine auch heute noch beliebte niederdeutsch-friesisch-dänische Form von Johannes**. Zwei frühe Belege des Vornamens finden sich bei „Jesse Bernardes“ (1330 Neuhaldensleben, die gleiche Person ist auch mit dem Kosenamen „Jesseke“ bezeugt) und „Jesse Rute“ (1376 Braunschweig)...“ – cfr Immanuel Johann Gerhard Scheller, *Deutsch-lateinisches Lexicon*, in 2 Bänden, 3. ed., Lipsiae 1805... col.1273: „Hännschen, Deminut. von Hans; etwa **Iohanniscus, oder Ioanniscus** (das bey den Alten nicht vorkommen möchte), oder Iohannulus (Ioannulus), das ebenso wenig vorkommen möchte; ...“

repellere?« Puto illos adhuc ridere; sed vocem *Olai Petridae* non iam audivi!« His verbis catulaster relationem suam conclusit.

Eodem ferê momento temporis intra domum raptim aperta est ianua conclavis et verba: »Hauce! Hauce Haiene!« voce magnâ laetâque in tenebras frigidas emissa sunt.

Tum Haucus domum ingressus non iam audivit, quisnam esset comes aggeralis; quid îdem capite suo cogitavisset, interim nemo certê accepit.

Haucus cum aliquamdiu post appropinquaret domui domini sui, conspexit Elcam infra in parte tumuli posticâ stantem, lumine lunae, quod nitebat super immensum pascuum immensurabiliter pruinosum. »Stasne hîc, Elca?« rogavit. Illa capite adnuit.

»Quid factumst?« inquit; »Num ille hoc ausus est?«

»Quidni ausus sit!«

»Quid nunc?«

»Licet, Elca; licet mihi tamen rem cras conari!«

»Bonam noctem, Hauce!« Elca dixit, per tumulum properê ascendit, in domum evasit. Haucus eam lentê secutus est.

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM**



**C.T. EST
Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS
PARS SEPTIMA SEQUETUR !**

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO


DER SCHIMMELREITER

Pars septima

cfr Pars I: EL 166,16-22; II: 167,04-11; III: 169,04-12;
IV: 170,15-23; V: 171,12-22; VI: 174, 11-16.

In pascuo longo latoque, quod versus orientem praeter latus aggeris terrestre porrigebatur, postridie post meridiem obscura massa hominum modo immota stans, modo, cum globulus ligneus ex eâdem iacta esset super humum sole diurno nunc a pruinâ liberatam, infra domos post se sitas longas et humiles visa est paulatim progredi; factiones globulatorum glacialium in medio versabantur a iuvenibus atque senibus circumdatae, qui cum iis sive in illis domibus sive in domibus supra in sicceto sitis habitabant aut manebant; senes longis vestibus induti, fumisugiis brevibus cogitabundi fumantes, et mulieres pannis iaccisque indutae, etiam parvulos manibus secum trahentes aut brachiis gerentes. E fossis congelatis, quae paulatim transibantur, splendor pallidus solis postmeridiani per cuspides harundinum coruscabat; frigora erant vehementia, sed homines ludere continuo pergebant, et omnium oculi iterum iterumque globulum volantem persequabantur. Nam ex eo hodie pendebat totius vici et diei honor. Arbiter factionum hîc gerebat album baculum, apud siccetanos nigrum cuspidem ferreâ instructum; ubi globulus currere desierat, idem baculum, sive tacitâ cum approbatione sive irrisione factionis adversariae impactum est humo congelatae, et is, cuius globulus primo metam assecutus erat, pro suâ factione victoriam pepererat. Omnes hi homines pauca tantum loquebantur, nonnisi iactu excellentissimo facto audiebatur vox quaedam iuvenum vel mulierum aut aliquis e senibus fumisugium ex ore exemptum umero iaculatoris impellens nonnulla verba benevola faciebat qualia sunt: »Hic fuit iactus optimus, dixit Zacharias uxore e fenestrâ iactâ!« aut: »Sic quoque iaciebat pater tuus, quem Deus consoletur in aeternitate!« aut similia verba benevola.

Hauco globulum iacenti res haud bene successit, nam cum modo brachium retro vibraverat, ut globulum proiceret, nubes a sole evaserat, qua îdem antea erat obtectus; qui nunc pleno radio suo percussit oculos Hauci; ita factum est, ut iactus fieret nimis brevis, globulus in fossam caderet et in tenui glacie haereret.



A.1919 delineavit Hans Volkert.

In pascuo longo latoque, quod versus orientem praeter latus aggeris terrestre porrigebatur, postridie post meridiem visa est obscura massa hominum.

»Non valet! Non valet! Hauce, iace iterum«, vocaverunt comparticipes eius. At arbiter siccetanorum¹ prosiluit contra loquens: »Oportet valeat; iactum est iactum!«

»Olae! Olae Petrides!« iuvenes paludetani clamaverunt. »Ubi est Olaus? Ubinam, malum, iste latet?«

At iste iam adfuit. »Nolite clamare! Vultis verbis resarcire damnum ab Hauco factum! Hoc iam eram suspicatus«.

»Nequaquam! Oportet Haucus iterum iaciat; nunc demonstra te esse linguâ promptum!«

»Certê sum!« Olaus vociferatus arbitrum siccetanorum accessit, sed nihil locutus est nisi plurimas gerras². At aculei atque mucrones, quibus alioquin verba Olai splendebant, nunc sermoni eius non infuerunt. Iuxta servum maiorem stetit puella, quae erat superciliis aenigmaticis, istumque aspectavit oculis iratis; at Elcae loqui non licuit, nam mulieribus non erat ius huius lusûs participandi.

»Inepta blateras«, alter arbiter vocavit, »quia non iudicas ex aequo et bono! Sol et luna et stellae sunt aequales nobis omnibus et semper in caelo; iactus fuit ineptus, et omnes iactûs inepti valent!«

Sic aliquamdiu unus contra alterum locuti sunt; sed denique recuperator decrevit, ne Hauco liceret iactum repetere. »Porro!« siccetani vocaverunt eorumque arbiter baculum nigrum ex humo extraxit et numero vocato iaculator constitit et globulum proiecit. Servus comitis aggeralis maior globulationem aspecturus non potuit, quin praeteriret *Elcam Volkerts*. Eadem autem servo aurem personans: »Heus Olae« inquit, »cuiusnam gratiâ hodie mentem tuam sanam hodie domi reliqueras?«

Tum iste puellam aspexit lato vultu ferê torvo, ex quo evaserat omnis hilaritas. »Tui gratiâ!« dixit, »nam tu quoque oblîta es mentem sanam tuam!«

1 *siccētānī -ōrum m.pl. orig. *Geestleute*. cfr *palūdētānī*, -ōrum m.pl. orig. *Marschleute*

2 *gerrae*, -ārum f.pl. orig. *Galimathias*. Est ferê i.q. theodiscê dicitur *Quatsch*, anglicê *nonsense*, francogallicê *radotage*. cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.ed., Hannover 1976, tom.I, col.2929: „gerra, ae, f. ...geflochtene Ruten, Rutengeflecht....Plur. gerrae übr. = *Lappalien, Possen, dummes Zeug*, Caecil.com.101. Plaut.asin.600; Epid.233. Auson.Griphus (XXVI) 1, praef. p.127,16”.

»Agedum, abi! Nôvi te, Olae Petrides!« puella respondit corpore erectissimo; at ille capite averso simulavit se non audivisse. Globulatores autem ludere perrexerunt et baculum nigrum albumque impingere. Haucus cum iterum iaculatus esset, eius globulus tam longinquê volavit, ut meta, quae erat magna orca calce albâ oblita in conspectum veniret. Īdem nunc fuit catulaster firmus, qui aetate puerili cottidie exercuerat mathesin et artem iaciendi. »Oho, Hauce!« aliquis e catervâ vocavit; »tam bellulê globulasti, quasi esses Michael archangelus ipsissimus!« Anus quaedam placentam atque vinum adustum secum ferens per hominum multitudinem se pressit ad Haucum, hyalum complevit eique praebuit. Eadem: »Veni!« inquit, »Animos nostros inter nos reconciliemus: hodie melius te geris quam illo tempore, quo mihi cattum occîdisti!« Cum anum conspiceret, Haucus recognovit Catharinam Iohanneam. Qui: »Gratias tibi ago, vetula« inquit; »sed hoc vinum non bibo«.

Necnon e sacculo suo manu exemit nummum marcae recenter cusum. »En accipe hunc et ipsa hyalum ebibe, Catharina; hōc modo facta sit reconciliatio nostri!«

»Rectê dixisti, Hauce!« anus respondit praeceptum eius sequens.

»rectê sentis; hoc praestat aniculae, qualis sum!«

Haucus post eam corbe comprehenso iam profectam vocavit: »Quid agitur de anatibus tuis?«; sed Catharina capite concusso non conversa manûs suas vetustas in aëre circumagitans respondit: »Nil, nil, de illis, Hauce; in fossis vestris nimis multi sunt ratti; Deus me consoletur; necesse est aliter me nutriam!« His dictis Catharina vetula in hominum cumulum se pressit et denuo praebuit vinum suum adustum suasque placentas mellitas.

**FABULAM NOVELLAM EXCELLENTISSIMAM
A THEODORO STORM SCRIPTAM**

C.T. EST

**Der Schimmelreiter
IN LATINUM CONVERTIT
NICOLAUS GROSS
LEO LATINUS**

PARS OCTAVA





PARS OCTAVA SEQUETUR !